PROGRAMM

des

Königlichen Marien-Gymnasiums zu Posen

für das Schuljahr 1849/50.

Inhalt: 1. De numero oratorio. Sententias ab Aristotele ac Cicerone prolatas in theoriae formam, redigere conatus est C. Steiner.
2. Schulnachrichten, vom Director.

PROGRAM

Królewskiego Gimnazyum Ś. Maryi Magdal. w Poznaniu

na rok szkolny 1849/50.

Treść: 1. De numero oratorio. Sententias ab Aristotele ac Cicerone prolatas in theoriae formam, redigere conatus est C. Steiner.
2. Wiadomości szkolne, przez Dyrektora.

POSEN,
gedruckt in der Hofbuchdruckerei von W. Decker & Comp.

1

DE NUMERO ORATORIO.

SENTENTIAS AB ARISTOTELE AC CICERONE PROLATAS IN THEORIAE FORMAM

REDIGERE CONATUS EST

CAROLUS STEINER, NISSENSIS,

PHIL. DR. NEC NON LIB. ART. MAG.

PRAEFATIO.

Quamvis Dionysium Halicarnasseum (περὶ συνθέσεως ὀνομάτων libro) et Quintilianum (Instit. orat. l. IX. c. 4) de numero oratorio copiosissime atque accuratissime disseruisse viderem: tamen ea, quae hac de re judicaverunt, in unum redigendi labore vel eo magis abstinendum censui, quod omnibus fere in rebus et inter se et cum Cicerone consentientes praecepta ipsi sua satis jam continua exhibuerunt. Numeri enim per eos neque indoles magis aperta neque materia, uberrimis exemplis exceptis, adeo locupletata est ut theoria ipsa aucta magis et provecta esse videretur. Itaque nonnisi subsidiariis horum virorum sententiis et iis maxime locis utendum putavi, quibus Aristotelis et Ciceronis doctrinam magis eo confirmatum iri persuasum haberem. Sicubi vero eos aut inter se, aut ab utroque rhetorices principe dissentientes intellexi, sententiarum diversitatem prodere notisque addere nihil praetermisi. Notis vero id inserendum censui, ne forte ampla jam per se materia nimium diduceretur neve dissertationis hujus consilium ac ratio aliqua ex parte laborarent.

Deique in componendo hoc opusculo his libris et editionibus saepissime usus sum:

Arist. opp. ed. *Casaub. Buhl. Bekker.*

Cic. opp. ed. *Schuetz.*

Dionys. Hal. ed. *Reiske.*

Quintil. ed. *Spalding.*

Hephaest. enhirid. continens Longini prolegg. et Procli Chrestom. ed. *Gaisford.* Lips. 1832.

ARISTOTELES.

Arist. Rhet. l. III. c. 1. *οὐ γὰρ ἀπόχρη τὸ ἔχειν ἃ δεῖ λέγειν, ἀλλ' ἀνάγκη καὶ ταῦτα ὡς δεῖ εἰπεῖν, καὶ συμβάλλεται πολλὰ πρὸς τὸ φανῆναι ποιόντινα τὸν λόγον·*

CAP. I. De numero et rhythmo.

Arist. Rhet. l. III. c. 8. *περαίνεται δὲ ἀριθμῷ πάντα.*

Cujusvis materiae forma e ratione pendet, qua particulae in unitatem conjunguntur; unitas autem imagine determinatur animo concepta, cujus in similitudinem materia formatur.

Si particulae ita componuntur ut imaginis simulacrum constituant quam accuratissimum, talis exsistit unitas, qualem in multitudine particularum conspicuam numerum (*ἀριθμόν*) appellemus.

Numerus, qui in orationis forma spectatur rhythmus [1]) (*ῥυθμός*) dicitur, cujus duplex est genus, prout oratio aut vincta est aut soluta.

[1]) Arist. Rhet. l. III. c. 8. *ὁ δὲ τοῦ σχήματος τῆς λέξεως ἀριθμὸς ῥυθμός ἐστιν, οὗ καὶ τὰ μέτρα τμητά.*

CAP. II. Quid sit poesis, quid orationis rhythmus.

Longin. *προλεγ. εἰς Ἡφαιστ. καὶ μὴν τῷ μέτρῳ πρόσεστιν ἁρμονία, ἡ δ'ἁρμονία μουσικὴ τυγχάνει· τῆς μουσικῆς δὲ ὅσον κλέος ἐστὶν οὐδεὶς ἀγνοεῖ.*

Poesis rhythmus in successione constat complurium temporis articulorum, qui syllabis ex metro [1]) pro rei describendae natura compositis (*τὸ ἔμμετρον*) repraesentati in unitatem [2]) (*κόμμα, κῶλον, στίχος, σύστημα, στροφή*) coguntur.

Soluta autem oratio, quamvis metris contineri non debeat, tamen et ipsa rhythmum [3]) suum habet. Is enim successione complurium constat temporis articulorum, qui syllabis ad solam rei describendae naturam inter se compositis expressi in unitatem (*κόμμα, κῶλον, περίοδος*) conjunguntur. Quae unitas tum perficitur, quum sententiae initium ac finis non mente solum sed auribus etiam percipiuntur hoc est, si una cum sententia ita elocutio excurrit, [4]) ut principium ac terminus ordine quodam verborum extrinsecus etiam significentur. Quod nisi fit oratio non numerosa sed connexa [5]) (*λέξις εἰρομένη καὶ συνδέσμῳ μία*) dicitur.

[1]) Arist. Poet. c. 4. *τὰ γὰρ μέτρα ὅτι μόρια τῶν ῥυθμῶν ἐστί, φανερόν λ. τ. λ.*

[2]) Arist. Problem. sect XIX, 15. *ἡ δὲ ἀντίστροφος ἁπλοῦν. ἀριθμὸς γάρ ἐστι καὶ ἑνὶ μετρεῖται.*

[3]) Arist. Rhet. l. III. c. 8. *τὸ δὲ σχῆμά τῆς λέξεως δεῖ μήτε ἔμμετρον εἶναι μήτε ἄῤῥυθμον.*

[4]) Arist. Rhet. l. III. c. 9. *λέγω δὲ περίοδον λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ τελευτὴν αὐτὴν καθ' αὑτὴν καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον. ἡδεῖα δ'ἡ τοιαύτη καὶ εὐμαθής, ἡδεῖα μὲν διὰ τὸ ἐναντίως ἔχειν τῷ ἀπεράντῳ. εὐμαθὴς δὲ ὅτι εὐμνημόνευτος. τοῦτο δὲ, ὅτι ἀριθμὸν* (rhythmum) *ἔχει ἡ ἐν περιόδοις λέξις, ὃ πάντων εὐμνημονευτότατον. δεῖ δὲ τὴν περίοδον καὶ τῇ διανοίᾳ τετελειῶσθαι κ. τ. λ.*

[5]) Arist. Rhet. l. III. c. 9. *λέγω δὲ εἰρομένην, ἣ οὐδὲν ἔχει τέλος καθ' αὑτὴν, ἂν μὴ τὸ πρᾶγμα λεγόμενον τελειωθῇ. ἔστι δὲ ἀηδὲς διὰ τὸ ἄπειρον.* — l. III. c. 8. *τὸ δὲ ἄῤῥυθμον ἀπέραντον. ἀηδὲς γὰρ καὶ ἄγνωστον τὸ ἄπειρον.*

CAP. III. Quomodo oriatur rhythmus oratorius.

Longin. προλεγ. II. Ἔστι μὲν γὰρ καὶ τῷ πεζῷ ἁρμονία τις· καὶ δῆλον ἐξ ὧν τοῦ μὲν ὁ λόγος ἐστὶν εὐρυθμότερος, τοῦ δὲ οὔ·

Antiquissimis temporibus prosae Graecorum orationi rhythmus nisi quando fortuito non inerat; quin et ipse Herodotus rhythmi nondum erat studiosus et, qua re constet ignorasse videtur. Is enim connexa,[1]) qua omnes fere illo tempore scriptores, usus est elocutione. Quae tamen dictio, nisi amoenum est, quod tractatur argumentum, eos, qui audiunt haud facile allicit allectosque retinet quum sententiae artificioso quolibet exordio atque fine in vocabulorum ordine posito careant nec nisi re ipsa exhausta finiantur. Eo demum tempore, quo ars oratoria excoli coepta est, quid sit rhythmus intelligere eumque affectare coeperunt. Elocutio ambitu comprehensa (*κατεστραμμένη λέξις, ἡ ἐν περιόδοις*) inventa est, qua deinde plerosque scriptores usos videmus. (*ταύτῃ γὰρ*, scil. *εἰρομένῃ*, *πρότερον μὲν ἅπαντες, νῦν δὲ οὐ πολλοὶ χρῶνται.*) Atque haec dictio suavis est, quum pariter atque oratio connexa animi motus et mores exprimens subjectisque rebus conveniens (*τὸ πρέπον*) simul etiam *ῥυθμόν* suscipiat, qui in singulari quadam vocabulorum componendorum ratione cernitur. Quae, qualis sit accuratius jam investigemus.

Orationi rhythmus quidem nec vero metrum[2]) inesse debet; alioquin erit poema. Itaque cujusvis etiam periodi principium ac finis non metro constare debet. Sed quum poeseos rhythmus causa oratorium inveniendi exstiterit, poeticas formas et in prosa imitari consentaneum est. Ne vero ita carmen fiat oratio ejusmodi formae eligantur rhythmicae necesse erit, e quibus ullus versus vix conficiatur.

Ex rhythmis heroicus[3]) — ◡◡ grandis est et orationi non aptus (*οὐ λεκτικός*);[4]) jambus autem nimis e vulgari est sermone eoque repetito quam facillime versus nascitur.[5]) Trochaeus ◡◡ ◡[6]) cordaci aptior est, id, quod declarant tetrametra; omnium igitur rhythmorum solus paeon reliquus est, cujus naturam rhetores a Thrasymacho[7]) profecti quamquam eo utebantur, tamen non intelligebant. Est enim paeon ◡◡◡ — tertius atque inter eos, quos diximus, medius pes; nam tria ◡◡◡ ad duo ◡◡ conferuntur, dum dactyli ratio et paris ◡◡ ad par ◡◡, trochaei autem jambique modus duorum ◡◡ ad unum ◡. Quod, quo melius intelligatur schemate hoc uti liceat:

I	II
par ad par	duo ad unum
duo ad duo	◡◡ ◡
— ◡◡	◡ ◡◡
— —	

III
ratio sesquialtera.
duo ad tria
— ◡◡◡
◡◡◡ —

Sunt igitur duae paeonis species, quarum altera a longa, altera a brevibus incipit; qui pedes omnium ante dictorum soli sunt, quibus poetae non sint usi. Quapropter aptissimi sunt rhythmo oratorio, qui quam maxime lateat neque industria quaesitus esse videatur necesse est. Paeon prior — ◡◡◡ sententiae principio, alter ◡◡◡ — termino maxime convenit; brevis enim syllaba, quoniam est imperfecta, mutilatam ac mancam facit orationem. Itaque sententiam oportet longa syllaba terminari atque ipsum finem non scriptoris opera notum esse nec per notam appositam, sed per numerum.

Vocabulis igitur pro sententiae natura quam aptissime electis ac secum ita copulatis ut principium hoc modo habeant et terminum sententia numerosa fit et periodus nascitur. Cujus periodi numerus, licet non sit poeticus tamen sic ad aures nostras accedet ut nos simile aliquid audire suspicemur.

Periodus aut membris constat aut simplex est. Altera, *ἡ ἐν κώλοις*,[8]) partes ita habet distinctas, quibus in unum conjunctis ejus, qui recitat vel pronuntiat spiritus non impediatur. Membra igitur tali extensione sint oportet, quibus mediis non respiretur; aliter enim periodi tollitur unitas, quae auribus percipitur. Periodus simplex (*ἀφελής, μονόκωλος*) nonnisi uno membro continetur

1) Arist. Rhet. l. III. c. 9. *ἡ μὲν οὖν εἰρομένη λέξις ἡ ἀρχαία ἐστίν· „Ἡροδότου Θουρίου ἥδ' ἱστορίης ἀπόδειξις·“* i. e. eo genere dicendi Herodotus usus est.

2) Arist. Rhet. l. III. c. 8. *τὸ δὲ σχῆμα τῆς λέξεως δεῖ μήτε ἔμμετρον εἶναι μήτε ἄῤῥυθμον· τὸ μὲν γὰρ ἀπίθανον (πεπλάσθαι γὰρ δοκεῖ) καὶ ἅμα καὶ ἐξίστησιν· προσέχειν γὰρ ποιεῖ τῷ ὁμοίῳ, πότε πάλιν ἥξει. τὸ δὲ ἄῤῥυθμον ἀπέραντον, δεῖ δὲ πεπεράνθαι μέν, μὴ μέτρῳ δέ. διὸ ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή· ποίημα γὰρ ἔσται. ῥυθμὸν δὲ μὴ ἀκριβῶς· τοῦτο δὲ ἔσται, ἐὰν μέχρι τοῦ ᾖ.*

3) Arist. Rhet. l. III. c. 8. *τῶν δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ οὐ λεκτικός κ. τ. λ.*

4) Negandi particulam a Victorio (Vettori) XVI saeculi initio demum in textum receptam hoc loco necessariam esse duobus Poet. locis comparatis facile intellexeris. Aristoteles enim Poet. c. IV. dicit: „*πλεῖστα γὰρ ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ, τῇ πρὸς ἀλλήλους, ἑξάμετρα δὲ ὀλιγάκις καὶ ἐκβαίνοντες τῆς λεκτικῆς ἁρμονίας.*“ Quod idem est ac si scripsisset: „*ἑξάμετρα δὲ ὀλιγάκις καὶ οὐ χρώμενοι τῇ λεκτικῇ ἁρμονίᾳ.*“ c. XXIV. profert.: „*τὸ γὰρ ἡρωϊκὸν στασιμώτατον καὶ ὀγκωδέστατον τῶν μέτρων ἐστίν·*“ Unde dactylum *ῥυθμὸν οὐ λεκτικὸν* esse apparet.

Sed et postea hunc Aristotelis locum ita esse intellectum paucis ostendam. Cicero Orator. c. LVII. Ephorus autem levis ipse orator...... paeona sequitur aut dactylum. Sed et illi priores (scil. qui jambis maxime in oratione utendum esse censent) et Ephorus in culpa est. Quod longe Aristoteli videtur secus (Rhet. III. 8.) qui judicat heroum numerum grandiorem, quam desideret soluta oratio etc.

Dionys. Halic. c. XVII. pag. 108: *πάνυ δ' ἐστὶ σεμνὸς* (scil. dactylus) *καὶ εἰς κάλλος ἁρμονίας ἀξιολογώτατος.* Quintil. de Inst. orat. l. IX. c. IV. 87: „herous, qui est idem dactylus, Aristoteli amplior“ i. e. amplior quam qui orationi pedestri conveniat.

5) Arist. Rhet. l. III. c. 8. *ὁ δ' ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν· διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες.* Arist. Poet. c. 4. *μάλιστα γὰρ λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖόν ἐστιν. σημεῖον δὲ τούτου· πλεῖστα γὰρ ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους.* c. 22. *ἐν δὲ τοῖς ἰαμβείοις, διὰ τὸ ὅτι μάλιστα λέξιν μιμεῖσθαι κ. τ. λ.*

6) Trochaeo hic pedem significari tribus brevibus ◡◡◡ constantem a Dionysis tribrachyn appellatum neque eum, quem Noster Halicarnasseus c. XVII. pag. 106 *τροχαῖον* nuncupat, a longa incipientem, quam brevis sequitur, ex iis vel luculenter apparet, quae Cicero (orat. c. LVII. trochaeum autem ◡◡◡, qui est eodem spatio, quo choreus — ◡, *κορδακικόν* appellat Aristoteles etc. c. LXIV. trochaeus, qui habet tres breves) et Quintilianus de hujus pedis natura produnt. Is enim de Inst. orat. l. IX. c. IV. 83. dicit: „licet.... Aristoteli.... jambus humanior videatur, trochaeum ut nimis currentem damnet eique cordacis nomen imponat.“

7) Thrasymachus Chalcedonius magni nominis rhetor, Platonis es Isocratis discipulus.

8) Arist. Rhet. l. III. c. 9. *ἔστι δ' ἐν κώλοις μὲν λέξις ἡ τετελειωμένη τε καὶ διῃρημένη καὶ εὐανάπνευστος, μὴ ἐν τῇ διαιρέσει ..... ἀλλ' ὅλη. κῶλον δ' ἐστὶ τὸ ἕτερον μόριον ταύτης. ἀφελῆ δὲ λέγω τὴν μονόκωλον. δεῖ καὶ τὰ κῶλα καὶ τὰς περιόδους μήτε μυούρους εἶναι μήτε μακράς. κ. τ. λ.*

CAP. IV. Ubi rhythmus oratorius sit adhibendus.

Longin. *περὶ ὕψους*. XXX. *φῶς γὰρ τῷ ὄντι ἴδιον τοῦ νοῦ τὰ καλὰ ὀνόματα. ὁ μέντοι γε ὄγκος αὐτῶν οὐ πάντῃ χρειώδης· ἐπεὶ τοῖς μικροῖς πραγματίοις περιτιθέναι μεγάλα καὶ σεμνὰ ὀνόματα ταὐτὸν ἂν φαίνοιτο, ὡς εἴ τις τραγικὸν προςωπεῖον μέγα παιδὶ περιθείη νηπίῳ.*

Orationis forma utrum poetica futura sit an prosa e ratione pendet, qua mens humana rem describendam intuetur; quae ratio si talis est, qualis orationem postulet solutam sola uti prosa licebit. Sic rhythmus etiam oratorius ubi sit adhibendus nonnisi argumenti natura determinatur. Nam si qua sententia simplex atque humilis periodo artificioso obduceretur, veste ineptissima tecta progrederetur. Alii igitur generi alia etiam convenit dictio; neque locutio (Arist. Rhet. l. III. c. 12) eadem est, qua aliquid scribimus et qua in contentionibus utimur; neque eadem, quae ad deliberationes pertinet, et qua judicia tractantur. Dicendi enim genus, quo aliquid scribimus exquisitissimum esse debet; quo in contentionibus utimur, ad actionem aptissimum. Quodsi inter se comparantur, orationes scriptae in contentionibus humiles angustaeque videntur, sed quae ab oratoribus bene habitae sunt, cum in manibus sumuntur, similes sunt imperitorum sermonibus. Causa vero est, quod hae contentionibus conveniant. Quamobrem illa, quorum vis in actione posita est, sublata actione, cum suo munere non fungantur, inania videntur; ut ea, quae dissoluta sunt et saepius repetuntur in scriptione jure improbantur; in contentionibus vero illis quoque oratores utuntur; sunt enim actioni convenientia.

CAP. V. Oratio vincta cum soluta comparatur.

Dionys. Hal. de verb. comp. c. XXV. p. 196. 197. *Τίς δ᾽ἐστὶν ἡ τούτων διαφορὰ, πάνυ ῥᾴδιον ἰδεῖν. ἡ μὲν ὅμοια περιλαμβάνουσα μέτρα, καὶ τεταγμένους σώζουσα ῥυθμοὺς, κατὰ στίχον, ἢ περίοδον ἢ στροφὴν ..... ἔῤῥυθμός ἐστι καὶ ἔμμετρος, καὶ ὀνόματα κεῖται τῇ τοιαύτῃ λέξει μέτρον καὶ μέλος· ἡ δὲ πεπλανημένα μέτρα καὶ ἀτάκτους ῥυθμοὺς ἐμπεριλαμβάνουσα, καὶ μήτ᾽ ἀκολουθίαν ἐμφαίνουσα αὐτῶν, μήτε ὁμοζυγίαν, μήτ᾽ ἀντιστροφὴν, εὔρυθμὸς μὲν ἐστιν, ἐπειδὴ διαπεποίκιλταί τισι ῥυθμοῖς· οὐκ ἔῤῥυθμος δὲ οὐχὶ τοῖς αὐτοῖς, οὐδὲ κατὰ τὸ αὐτό.*

Oratio vincta si eo maxime a soluta differt, quod versibus constat, versui, ut effigiei metricae, quae principium ex se habet ac terminum, periodus simplex in soluta oratione respondet. Quum vero periodi duplex sit genus, num quid in poesi simile occurrat videamus.

Si complures similes versus in unum conjunguntur, systema, sin diversi, stropha conficitur. Systema igitur et stropha nihil sunt nisi versuum complexus, quorum determinatum sibi quisque habet finem ac principium. Periodum vero membris constantem systematis vel strophae [1]) pro membrorum singulorum natura similem esse apparet. Cum systematis igitur et strophae versibus periodi membra sunt comparanda, quibus in unum conjunctis periodus composita nascitur.

Jam restat ut inquiramus, quid in posi orationi respondeat, quam supra connexam (*εἰρομένην*) appellavimus.

Quamquam oratio connexa rhythmum non habet, quum fine careat ac principio verborum collocatione positis, tamen simile aliquid et in carminibus invenitur, quae forsitan remotissima ab hoc dicendi genere haberes.

Dithyrambi enim antiquissimi, etsi nulla eorum fragmenta exstant, tamen, quum a poetis Bacchio quodam furore concitatis ac temulentis,[2]) nulla praeparatione antea instituta,[3]) Bacchanalibus decantari solerent, tam temeraria haut dubie verborum compositione ac successione constabant ut, quamvis metro continerentur, tamen ne in versus quidem notos nedum in systemata vel strophas redigi potuissent. Neque igitur ejusmodi carmina prius finiebantur quam divinus ille, quo poeta raptus erat, furor re exhausta praeteriisset.

Id vel ex eo conjicere licet, quod et postea Bacchici poetae, strophica epodicaque forma (per Arionem) huic carminum generi illata,[4]) prisca illa metrorum licentia in ejusmodi dithyrambis utebantur, qui choro remoto, a solis poetis dramatico[5]) quodam et vocis et gestuum habitu agerentur. Sed dum priores illi poetae rustici, quippe versificationis parum gnari genio suo indulgentes carmina illa incondita fundunt: hi de industria priscam dithyrambi naturam aemulati tot saepe voces ingenioso audacique modo in unum vocabulum conglobarunt ut propter nimiam junctorum[6]) verborum longitudinem carmen, quamvis ex metro recitaretur, tamen neque stichicum esset neque strophicum.[7])

Neque vero non dithyrambis choricis avitus ille mos sic adhaesit ut, qui erat chori praesul. ante carmen decantatum, pauca, quae ad deum diemque celebrandum vel ad carminis argumentum explicandum pertinerent, rhythmis lege solutis praeludii vel prooemii instar deo plenus praecineret. Quibus ex praeludiis propter sesquipedalia illa vocabula ab Aristophane jam irrisis (Av. v. **1383—1390**. Pac. 828—834. ed. *Teubner.*) vetus tragoedia profecta[8]) esse dicitur.

Itaque simillima incondito illi antiquissimo et recentiori dithyrambo vel dithyramborum exordiis[9]) (*ἀναβολαῖς*) talis erit oratio, quae pro sententiarum ratione verborumque ordine in membra et periodos distribui nequeat necnisi quando verborum granditate ac concinnitate poeticae venustatis speciem prae se ferat.

[1]) Arist. Rhet. l. III. c. 9. *τὴν δὲ λέξιν ἀνάγκη εἶναι ἢ εἰρομένην ...... ἢ κατεστραμμένην καὶ ὁμοίαν ταῖς τῶν ἀρχαίων ποιητῶν ἀντιστρόφοις.*

[2]) Plat. Jo. p. 533. *καὶ οἱ μελοποιοὶ οἱ ἀγαθοὶ ὡσαύτως, ὥςπερ οἱ κορυβαντιῶντες οὐκ ἔμφρονες ὄντες ὀρχοῦνται·* 534. *οὕτω καὶ οἱ μελοποιοὶ οὐκ ἔμφρονες ὄντες τὰ καλὰ μέλη ταῦτα ποιοῦσιν, ἀλλ' ἐπειδὰν ἐμβῶσιν εἰς τὴν ἁρμονίαν καὶ εἰς τὸν ῥυθμὸν βακχεύουσι καὶ κατεχόμενοι, ὥσπερ αἱ βάκχαι, ἀρύττονται ἐκ τῶν ποταμῶν μέλι καὶ γάλα κατεχόμενοι, ἔμφρονες δὲ οὖσαι οὔ.*

Athen. Deipnos. l. XIV. 24. p. 276. ed. *Schweigh. Φιλόχορος δέ φησιν, ὡς οἱ παλαιοὶ σπένδοντες οὐκ ἀεὶ διθυραμβοῦσιν, ἀλλ' ὅταν σπένδωσι, τὸν μὲν Διόνυσον ἐν οἴνῳ καὶ μέθῃ, τὸν δ' Ἀπόλλωνα μεθ' ἡσυχίας καὶ τάξεως μέλποντες. Ἀρχίλοχος γοῦν φησίν·*

Ὡς Διονύσοι' ἄνακτος καλὸν ἐξάρξαι μέλος
Οἶδα διθύραμβον, οἴνῳ συγκεραυνωθεὶς φρένας.

Cf. *Bergk*, Poet. lyr. Archil. 72. Annot. in Procli Chrest. ed. *Gaisf.* p. 483. infra.

[3]) Arist. Poet. c. 4. *κατὰ φύσιν δὲ ὄντος ἡμῖν τοῦ μιμεῖσθαι καὶ τῆς ἁρμονίας καὶ τοῦ ῥυθμοῦ ...... ἐξ ἀρχῆς οἱ πεφυκότες πρὸς αὐτὰ μάλιστα κατὰ μικρὸν προάγοντες ἐγέννησαν τὴν ποίησιν ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων.*

[4]) Herod. I. 23. *Ἀρίωνα τὸν Μηθυμναῖον .... ἐόντα κιθαρῳδὸν τῶν τότε ἐόντων οὐδενὸς δεύτερον, καὶ διθύραμβον, πρῶτον ἀνθρώπων, τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, ποιήσαντά τε* (i. e. eorum, qui ante Arionem dithyrambos composuerunt nomina ignoro et carmina, quum neque literis mandata neque memoriae tradita sint) *καὶ ὀνομάσαντα* (i. e. nomina singulis indidit carminibus) *καὶ διδάξαντα ἐν Κορίνθῳ.*

Cf. Philolog. ed. *Schneidew.* a. 1846. fascic. III. p. 401.

Procl. Chrest. *ιά. Ὁ δὲ Διθύραμβος γράφεται μὲν εἰς Διόνυσον. τὸν δὲ ἀρξάμενον τῆς ᾠδῆς Ἀριστοτέλης* (tribus illis fortasse libris a Plutarcho in Homeri vita citatis, jam vero perditis. Cf. Annot. in Procl. p. 477. infra.) *Ἀρίωνα λέγει· ὃς πρῶτος τὸν κύκλιον ἤγαγε χορόν.*

[5]) Arist. Problem. sect. XIX. 15. ed. *Casaub. δι' ὃ καὶ οἱ διθύραμβοι, ἐπειδὴ μιμητικοὶ ἐγένοντο, οὐκέτι ἔχουσιν ἀντιστρόφους, πρότερον δὲ εἶχον. αἴτιον δὲ, ὅτι τὸ παλαιὸν οἱ ἐλεύθεροι ἐχόρευον αὐτοί. πολλοὺς οὖν ἀγωνιστικῶς ᾄδειν χαλεπὸν ἦν. ὥστε ἐν ἁρμονίᾳ μέλη ἐνῇδον. μεταβάλλειν γὰρ πολλὰς μεταβολὰς τῷ δ' ἑνὶ*

ῥᾶον ἢ τοῖς πολλοῖς, καὶ τῷ ἀγωνιστῇ ἢ τοῖς τὸ ἦθος φυλάττουσι. δὶ ὃ ἁπλούστερα ἐποιοῦντο αὐτοῖς τὰ μέλη. ἡ δὲ ἀντίστροφος ἁπλοῦν. ἀριθμὸς γάρ ἐστι καὶ ἑνὶ μετρεῖται. τὸ δ' αὐτὸ αἴτιον καὶ διότι τὰ μὲν ἀπὸ τῆς σκηνῆς οὐκ ἀντίστροφα, τά δὲ τοῦ χοροῦ ἀντίστροφα. ὁ μὲν γὰρ ὑποκριτὴς ἀγωνιστὴς καὶ μιμητής· ὁ δὲ χορὸς ἧττον μιμεῖται.

[6]) Arist. Rhet. l. III. c. 3. *διὸ χρησιμωτάτη ἡ διπλῆ λέξις τοῖς διθυραμβοποιοῖς· οὗτοι γὰρ ψοφώδεις.*

Poet. c. 21. *Ὀνόματος δὲ εἴδη τὸ μὲν ἁπλοῦν (ἁπλοῦν δὲ λέγω, ὃ μὴ ἐκ σημαινόντων σύγκειται, οἷον γῆ) τὸ δὲ διπλοῦν· τούτου δὲ τὸ μὲν ἐκ σημαίνοντος καὶ ἀσήμου, τὸ δὲ ἐκ σημαινόντων σύγκειται.* c. 22. *τῶν μὲν ὀνομάτων τὰ μὲν διπλᾶ μάλιστα ἁρμόττει τοῖς διθυράμβοις.*

In fragmento illo a Dionysio Hal. c. XXXII de verb. comp. citato nonnisi duo ejusmodi vocabula juncta *ἐαριδρέπτων* et *ἑλικάμπυκα* inveniuntur, plura autem et insigniora in aliis dithyramborum reliquiis. Cf. *Bergk*, Poet. lyr. Graec. Philoxeni fragm. II. v. 9 *γογγροιτοιωνητεμών*, v. 14 *σηπιοπουλυποδείων*, v. 31 *λευκοφορινοχρόους*, v. 34 *μιξεριφαρνογένης*, v. 37 *μαλακοπτυχέων*. fragm. III. v. 11 *ἐγκατακνακομιγές*, v. 12 *πυρβρομολευκερέβινθον ἀκανθουμικριτο (ἀδύ)* v. 13 *βρῶμα τὸ παγκατάμικτον.* Versus XII et XIII ad hanc usque partem codices in unum vocabulum conjunctos sic praebent:

πυροβρομολευκερεβινθοακανθουμικριτοαδυβρωματοπανταναμικτον.

v. 13 *ἀμπυρικηροιδηστίχας*, v. 14 *σταιτινοκογχαμαγής*, *σεσελειοξανθεπιπαγκαπύρωτος*, v. 16 *σασαμόφωκτα*, v. 18 *σασαμορυτοπαγῆ* et alia sesquipedalia. Pratinas fragm. I. v. 14 *ὀλεσισιαλοκαλαμον*, v. 15 *λαλοβαρυπαραμελορυθμοβάταν*. Vid. Horat. Od. l. IV. 2. v. 10—13.

Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit numerisque fertur
lege solutis.

[7]) Dionys. Hal. c. XIX. p. 131. 132. *Οἱ μὲν οὖν ἀρχαῖοι μελοποιοὶ, λέγω δ' Ἀλκαῖόν τε καὶ Σαπφὼ, μικρὰς ἐποιοῦντο Στροφάς· ...... οἱ δὲ περὶ Στησίχορόν τε καὶ Πίνδαρον μείζους ἐργασάμενοι τὰς περιόδους, εἰς πολλὰ μέτρα καὶ κῶλα διένειμαν αὐτὰς, οὐκ ἄλλου τινὸς, ἢ τῆς μεταβολῆς, ἔρωτι. οἱ δέ γε Διθυραμβοποιοὶ καὶ τοὺς τρόπους μετέβαλλον, ... καὶ τοῖς ῥυθμοῖς κατὰ πολλὴν ἄδειαν ἐνεξουσιάζοντες διετέλουν· οἵ γε δὲ κατὰ Φιλόξενον καὶ Τιμόθεον καὶ Τελεστήν· ἐπεὶ παρά γε τοῖς ἀρχαίοις* (eodem fere modo, quo hujus loci initio hoc vocabulum intelligendum est i. e. Arionis tempore) *τεταγμένος ἦν ὁ Διθύραμβος.*

[8]) Arist. Poet. c. 4. *γενομένη δ' οὖν ἀπ' ἀρχῆς αὐτοσχεδιαστικὴ καὶ αὐτὴ* (sc. *ἡ τραγῳδία*) *καὶ ἡ μὲν ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὸν διθύραμβον, ἡ δὲ ἀπὸ τῶν τὰ φαλλικὰ κ. τ. λ.*

[9]) Arist. Rhet. l. III. c. 9. *τὴν δὲ λέξιν ἀνάγκη εἶναι ἢ εἰρομένην .... ὥσπερ αἱ ἐν τοῖς διθυράμβοις ἀναβολαί κ. τ. λ. ὁμοίως δὲ καὶ αἱ περίοδοι αἱ μακραὶ οὖσαι λόγος γίνεται καὶ ἀναβολῇ ὅμοιον·*

Suidas. *ἀναβολάς. τὰ προοίμια. καινὰς ἀναβολὰς θέλω λαβεῖν* (Aristoph. av. v. 1384.) *ἢ τὰς ἀρχὰς τῶν ᾀσμάτων. Ὅμηρος· ἤτοι ὁ φορμίζων ἀνεβάλλετο καλὸν ἀείδειν. καὶ Ἀριστοφάνης· Ξυνελέγοντ' ἀναβολὰς ποτώμενοι* (Pac. 833. 834.)· *περὶ ψυχρῶν λέγων διθυραμβοδιδασκάλων.*

CICERO.

CAP. I. Quid sit ornate dicere.

Cicero de orat. l. III. c. 22. *Semper enim, quacunque de arte aut facultate quaeritur de absoluta et perfecta quaeri solet. Vis enim et natura rei, nisi perfecta ante oculos ponitur, qualis et quanta sit intelligi non potest.*

Ut verbum quodvis e notionis,[1]) quam significat natura: sic verborum complexus,[2]) qualis sit e sententia pendet, quae exprimi debet. Qui verborum complexus si talis est ut sententiae praebeat simulacrum, quod auribus percipi queat accuratissimum, ejusmodi orationis oritur forma, quam ornatam nominemus. Cicero de orator. l. III. c. 14: „In quo igitur, inquit, homines exhorrescunt? Quem stupefacti dicentem intuentur? . . . . . Qui distincte, qui explicate, qui abundanter, qui illuminate et rebus et verbis dicunt et in ipsa oratione quasi quendam numerum versumque conficiunt, id est, qui dicunt ornate.“ [3])

Unde sequitur ut ornata dictione numerus contineatur; qui, qualis sit jam videamus.

[1]) Cic. de orat. l. II. c. 2. Verba semper satis ornata mihi quidem videri solent, si ejusmodi sunt, ut ea res ipsa peperisse videatur.

[2]) Cic. de orat. l. III. c. 31. Rerum enim copia verborum copiam gignit: et si est honestas in rebus ipsis, de quibus dicitur, existit ex ea naturalis quidam splendor in verbis l. III. c. 6. Nam quum omnis ex re atque verbis constet oratio: neque verba sedem habere possunt, si rem subtraxeris, neque res lumen, si verba semoveris. Tantum significabo brevi, neque verborum ornatum inveniri posse non partis expressisque sententiis, neque esse ullam sententiam illustrem sine luce verborum.

[3]) Vid. Cic. de orat. l. II. c. 2. l. III. c. 10.

CAP. II. De numero oratorio.

Cic. orat. c. 55. *In verbis inest quasi materia quaedam, in numero autem expolitio.*

Numerus oratorius tum nascitur, quum verba pro sententiae natura apte electa in talem componuntur[1]) unitatem, cujus principium ac finis non solum rei describendae natura[2]) posita sint, verum etiam syllabarum pondere[3]) percipiantur. Syllabarum autem pondus ipsarum cernitur extensione (mensura) atque vocis, qua pronuntiantur intensione (ictu); qua utraque in verbis conjungendis pro sententiae natura passim adhibitâ numerus constat oratorius.

Ejus modi verborum complexus si duabus[4]) saltem partibus in unum conjunctis constat, ambitus,[5]) graece περίοδος appellatur.

[1]) Cic. orat. c. 50. Numerus nihil affert aliud, nisi ut sit apte verbis comprehensa sententia.

[2]) Cic. orat. c. 50. Id enim exspectant aures, ut verbis colligantur sententiae. Cic. de orat. l. III. c. 50. Consuetudo modo illa sit scribendi ac dicendi, ut sententiae verbis finiantur.

[3]) Cic. orat. c. 20. Quidquid est enim, quod sub aurium mensuram aliquam cadit, etiamsi abest a versu (nam id quidem orationis est vitium) numerus vocatur, qui graece ῥυθμός dicitur. Cic. de orat. l. III. c. 48. Numerosum est id in omnibus sonis atque vocibus, quod habet impressiones et quod metiri possumus intervallis aequalibus. —

distinctio et aequalium et saepe variorum intervallorum percussio numerum conficit. Cic. part. orat. c. 6. Numeros aures ipsae metiuntur, ne aut non compleas verbis, quod proposueris, aut redundes.

[4]) Cic. orat. c. 67. .... sequitur comprehensio, sed ex duobus membris, qua non potest esse brevior.

[5]) Cic. orat. c. 61. περίοδον nos tum ambitum, tum comprehensionem, aut continuationem, aut circumscriptionem dicimus.

CAP. III. Quomodo numerus efficiatur oratorius.

Cic. orat. c. 56. *Sit igitur hoc cognitum, in solutis etiam verbis inesse numeros, eosdemque esse oratorios, qui sint poetici.*

Quum numero et oratorio et poetico sententiae ita exprimantur ut earum auribus unitas percipiatur: fieri non potest quin utriusque eadem sit natura,[1]) neque ille nisi unitatis[2]) natura ab hoc differat.

Numeri natura formis rhythmicis continetur, quae vocantur pedes; quibus pro imaginis animo conceptae natura electis atque inter se compositis unitas nascitur, quam poeticam (comma, membrum, versum, systema, stropham, poema) appellare consuevimus. Qui pedes si passim[3]) in prosa, quo numerosa[4]) fiat, adhibentur, unitas existit oratoria, quae, pro extensione, aut incisum et membrum, aut periodus, aut oratio vocari solet.

Ut compluribus versibus numero sententiaque in unum conjunctis aut systema, aut stropha continetur, prout singuli sibi versus aut similes sunt, aut dissimiles: sic duobus vel pluribus membris[5]) arctissime inter se et sensu et verbis cohaerentibus periodus conficitur.

Longissima est complexio verborum (Cic. de orat. l. III. c. 47) quae volvi uno spiritu potest. Sed hic naturae modus est, artis alius. Cujusvis enim comprehensionis verba ita collocanda sunt ut sententiae principium ac finis non in spiritu solo sed in syllabarum pondere posita sint.[6]) Plena comprehensio e quatuor omnino constat partibus, quae longitudinem habeant quatuor versuum hexametrorum;[7]) cujusmodi partes, si sententiae, quam una conficiunt, sola unitate nec nodis continuationis i. e. verborum nexu inter se cohaerent, membra[8]) (κῶλα) et, si propriam quaeque pars sententiam continet resectam quasi et quam brevissime expressam, incisa[9]) (κόμματα) appellantur.

Periodo jam cum stropha comparata singulis strophae versibus aut membris[10]) periodi membra respondebunt. Pro extensione igitur, i. e. pro syllabarum, quibus constat numero, membrum oratorium a membri fere poetici[11]) longitudine proficisci neque versus facile mensuram excedere poterit. Sed ut strophae et versuum modus sola ratione finitur, qua poeta rem celebrandam intuetur: sic periodi etiam membrorumque circuitus nonnisi in rei describendae natura positus est, ad quam is, qui dicit limites ut totius orationis, ita etiam periodorum et membrorum accommodet necesse est.

In oratione igitur publice habenda periodum quatuor versuum hexametrorum mensuram transgredi vix fas erit quum facile fieri possit ut longior circuitus longiorave membra eorum, qui audiunt aures et mentem, sensu nimis distracto dilatoque, effugiant. Membri igitur productio; pro syllabarum numero, hexametri mensuram haud facilie superaverit. Rebus sic se habentibus incisum (κόμμα), salva hac periodi membrique extensione, ejusmodi ferme hexametri inciso ex syllabarum numero par esse poterit, quod caesura illa post tertii pedis arsim adhibita, ut ita dicam, amputatur.[12]) Sed qui membri incisique longitudinem adeo accurate[13]) definitam vult, ne qua forte syllaba a numero constituto absit, is frustra operam suam impenderit. Nam quum id maxime inter orationem solutam et vinctam intersit, quod illa libere profluit, haec autem metro proposito cohibetur: in libera oratione

nec periodi alicujus nec membri neque incisi extensio priusquam pronuntiata sint, ad certum syllabarum numerum redigi poterit. Quamquam enim alia periodus quatuor membris continetur,[14]) quid obstat quonimus alia, si sententiae natura hoc postulat, quinque vel sex membris comprehendatur, modo ne ejus, qui dicit, spiritus neve eorum, qui audiunt mentes illa productione nimis impediantur? Sic membri etiam incisique natura et differentia non in syllabarum numero posita est, sed e cogitatione verbis exprimenda, utrum membris an incisis utendum sit, pendebit et quali utrumque sit mensura. Nam quamquam incisi vis eo erit acutior[15]), quo brevius est: tamen eo non membrum fiet, si forte syllabarum numerum supra allatum excesserit. Neque membrum in periodum mutabitur si una fortasse syllaba hexametro longius erit, neque incisi naturam eo induet, si forte, sententia id postulante, eodem quo incisum est numero syllabarum.

Ut in poemate singuli suum numerum versus obtinent: sic etiam in oratione eodem, quo periodus, modo suum quodvis membrum et incisum numerum habeat oportet.[16]) Partes autem, quibus periodus constat, modificatae esse debent (Cic. de orat. l. III. c. 48); quae si in extremo breviores sunt, infringitur ille quasi verborum ambitus. „Quare aut paria esse, debent posteriora superioribus, extrema primis, aut, quod etiam est melius et jucundius, longiora.“

Jam quod ad pedes attinet hi notandi sunt, quum maxime in oratione reperiantur:

◡ — Jambus
— ◡ Choreus
◡◡◡ Trochaeus [17])
— ◡◡ Dactylus
◡◡ — Anapaestus
— — Spondeus
— ◡◡◡ Paeon prior
◡◡◡ — Paeon posterior
— ◡ — Creticus
◡ — — ◡ — Dochmius. [18])

Quibus omnibus in oratione permiste [19]) est utendum: „nec enim effugere possemus (Cic. orat. c. 57) animadversionem, si semper iisdem uteremur; quia neque numerosa ut poema, neque extra numerum, ut sermo vulgi esse debet oratio. Sit igitur permista et implicata numeris, nec dissoluta, nec tota numerosa, paeone[20]) maxime (quoniam optimus auctor, sc. Aristoteles, ita censet) sed reliquis etiam numeris, quos ille (idem Aristoteles) praeterit, temperata.“

Neque vero tanta industria ad illos pedes aspirandum est, qua periodi sensus laboret. „Neque vos paeon (Cic. de orat. l. III. c. 50) aut herous ille conturbet. Ipsi occurrent orationi; ipsi, inquam, se offerent et respondebunt non vocati.“

Omnium id maxime est cavendum ne in versum neve in versus similitudinem[21]) illabatur oratio; quam ob rem nullo pede toties repetito utendum erit, ut aures eo versum confici sentiant. Jambi igitur frequentes[22]) imprimis sunt evitandi, quum iis versus facile oriatur ortusque ab auditoribus agnoscatur.[23]) Ut vero jambis sic ceteris etiam pedibus iteratis abstinendum est et prospiciendum ne duobus aut, quod est maximum, tribus plures deinceps ponantur.[24])

In quovis verborum ambitu principium ac finis praesertim sunt consideranda; „nascatur a proceris numeris ac liberis (Cic. de orat. l. III. c. 50) maxime heroo — ◡◡ aut paeone — ◡◡◡ priore, aut cretico — ◡ —, sed varie distincteque considat.“ Magis autem quam principium periodi finis numerosus sit oportet. „Notatur enim maxime (l. c.) similitudo in conquiescendo,“[25]) Duo vero aut tres sunt fere extremi servandi et notandi pedes, si modo non breviora et praecisa erunt superiora; quos aut choreos aut heroos aut alternos esse oportebit, aut in paeone illo posteriore,[26])

quem Aristoteles probat, aut ei pari cretico, qui in clausula vel paeoni illi est praeferendus. Clausula perquam numerosa dichoreo —◡—◡[27]) continetur, dummodo raro adhibeatur; nam „in oratione nihil est tam vitiosum, quam si semper est idem“ (Cic. orat. c. 64). Ne spondeus quidem funditus est repudiandus. Etsi, quod est e longis duabus, hebetior videtur et tardior, habet tamen stabilem quendam et non expertem dignitatis gradum. Ne jambus quidem, aut par trochaeus ◡◡◡, aut etiam dactylus parum volubiliter pervenit ad extremum, si eos sequitur choreus —◡, aut spondeus. Neque enim quidquam interest, uter sit eorum in extremo, quia postrema syllaba brevis an longa sit in ipso versu nihil refert.[28]) Sed iidem hi tres pedes —◡, ◡◡◡,[29]) —◡◡ male concludunt si quis eorum in extremo locatus est, nisi quum pro cretico postremus est dactylus —◡⏓. Dochmius autem (Cic. l. c.) quovis loco aptus est, dum semel ponatur; iteratus, aut continuatus numerum apertum et nimis insignem facit.

Sin verborum comprehensionis principium ac terminus hac ratione sunt pedibus composita, „medii[30]) (sc. pedes) possunt latere, modo ne circuitus ipse verborum sit aut brevior quam aures exspectent, aut longior quam vires atque anima patiatur.“

Jam quum de pedibus, qui in periodo reperiuntur, sermo fuerit, hoc mihi liceat schema afferre, ut uno obtutu tota res intelligi queat.

Periodus

oriens.	*media.*	*cadens.*
—◡◡ herous	medii latere	—◡—◡ dichoreus
—◡◡◡ pacon prior	possunt pedes.	—◡◡—◡⏓ herous cum ancipite
—◡— creticus		—◡◡—— spondeus
◡——◡— dochmius.		—◡—◡⏓ chor. dactyl. cum ancipite
		◡◡◡— paeon posterior
		—◡— creticus
		◡— } —⏓
		◡◡◡ } —⏓
		—◡◡ } —⏓
		—◡⏓ dactyl. cum ancip.
		◡——◡— dochmius.

Major etiam pro numero quidem diligentia in membris et incisis[31]) quam in periodis conficiendis adhibenda est. Quae, quum paucis[32]) tantum vocabulis constent, saepe prorsus numerosa sunt i. e. meris pedibus continentur. Praeter reliquos pedes spondeo etiam vel apte in iis est utendum. (Cic. orat. c. 64) „Paucitatem enim pedum gravitatis suae tarditate compensat.“ „Nam in illis, quibus ut pugiunculis (orat. c. 67) uti oportet, brevitas facit ipsa liberiores pedes. Saepe enim singulis utentum est, plerumque binis (et utrisque addi pedis pars potest), non fere ternis amplius.“

Jam quum viderimus, quomodo numerus oriatur oratorius, restat ut de significatione ejus disseramus. Quae quum pedis natura contineatur, hoc accuratius explicato, ipsam cognitam habebimus.

Pes, de genere nunc disputo, qui ad numerum adhibetur, trifariam est divisa (Cic. orat. c. 56). Nam aut altera alteri parti aequalis, aut alterius dimidium, aut sesqui major est. Unde, si hanc pedis genuinam figuram statuimus — —, hi tres pedes

—◡◡ , ◡— , ◡◡◡—

derivantur. Quorum pedum „jambus frequentissimus est in iis, quae demisso atque humili sermone dicuntur; paeon autem in amplioribus; in utroque dactylus. Ita in varia et perpetua oratione hi sunt inter se miscendi et temperandi. Sic minime animadvertetur delectationis aucupium et quadrandae orationis industria, quae latebit eo magis, si et verborum et sententiarum ponderibus utemur

(Cic. orat. c. 58)." Reliqui vero pedes ∪∪—, —∪, —∪∪∪, ——, ∪∪∪, —∪—, pro syllabarum aut brevium, aut longarum, quibus constant compositione aut cursum, aut tarditatem significant et pro sententiae natura erunt eligendi.[33])

1) Cic. orat. c. 20. Nam etiam poetae quaestionem attulerunt, quidnam esset illud, quo ipsi different ab oratoribus. Numero maxime videbantur antea et versu: nunc apud oratores jam ipse numerus increbruit. c. 56. Sed hi numeri (sc. orationis) poeticine sint, an ex alio genere quodam, deinceps est videndum. Nullus est igitur numerus extra poeticos, propterea quod definita sunt genera numerorum. c. 60. Si quae res efficiat voluptatem (in numero oratorio quaeritur): eadem, quae in versibus, quorum modum notat ars, sed aures ipsae tacito eum sensu sine arte definiunt.

2) Cic. orat. c. 68. .... sed ordo pedum facit, ut id, quod pronuntiatur aut orationis, aut poematis simile videatur etc.

3) Cic. orat. c. 58. Nec vero is cursus est numerorum, orationis dico, nihil ut fiat extra modum; nam id quidem esset poema; sed omnis nec claudicans, nec quasi fluctuans et aequaliter constanterque ingrediens numerosa habetur oratio. Atque id in dicendo numerosum putatur, quod non totum constat e numeris, sed quod ad numeros proxime accedit etc. Cic. de orat. l. III. c. 44. Versus enim veteres illi in hac soluta oratione propemodum, hoc est, numeros quosdam nobis esse adhibendos putaverunt.

4) Cic. orat. c. 65. Multum interest, utrum numerosa sit, i. e. similis numerorum, an plane e numeris constet oratio.

5) Cic. orat. c. 66. Constat ambitus et plena comprehensio e quatuor fere partibus, quae membra dicimus. — His igitur singulis versibus (sc. membris) quasi nodi apparent continuationis, quos in ambitu conjungimus.

6) Cic. de orat. l. III. c. 44. Interspirationes enim non defatigatione nostra neque librariorum notis, sed verborum et sententiarum modo interpunctas clausulas in orationibus esse voluerunt. Cic. orat. c. 68. Hanc igitur sive compositionem, sive perfectionem, sive numerum vocari placet, adhibere necesse est, si ornate velis dicere non solum..... ne infinite feratur, ut flumen oratio, quae non aut spiritu pronuntiantis, aut interductu librarii, sed numero coacta debet insistere: verum etiam etc.

7) Cic. orat. c. 66. E quatuor igitur quasi hexametrorum instar versuum quod sit, constat fere plena comprehensio.

8) Cic. orat. c. 66. Sin membratim volumus dicere insistimus. Rhet. ad Her. l. IV. c. 19. Membrum orationis appellatur res breviter absoluta sine totius sententiae demonstratione, quae denuo alio membro orationis excipitur hoc modo: „Et inimico proderas." Id est unum, quod appellatur membrum. Deinde hoc excipiatur oportet ab altero: „Et amicum laedebas." Ex duobus membris haec exornatio potest constare: sed commodissima et absolutissima est, quae ex tribus constat hoc pacto: „Et inimico proderas, et amicum laedebas, et tibi ipsi non consulebas." Item: „Nec reipublicae consuluisti, nec amicis profuisti, nec inimicis restitisti."

Dionys. Hal. de verb. comb. c. II. p. 9. *πλὴν ἤγε τῶν πρώτων, εἴτε τῶν τριῶν, ἢ τεττάρων, εἶθ' ὅσων δή ποτε ὄντων μερῶν πλοκὴ καὶ παράθεσις, τὰ λεγόμενα ποιεῖ κῶλα. ἔπειθ' ἡ τούτων ἁρμονία τὰς καλουμένας συμπληροῖ περιόδους· αὗται δὲ τὸν σύμπαντα τελειοῦσι λόγον.*

Quintil. Inst. orat. l. IX. c. 4. 123. Membrum autem est sensus numeris conclusus, sed a toto corpore abruptus et per se nihil efficiens.

9) Cic. orat. c. 67. „Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas." Haec incise dicta sunt quatuor.

Dionys. de verb. comp. c. XXVI. p. 213. *πολλάκις δὲ καὶ εἰς κόμματα συνάγειν βραχύτερα κώλων κ. τ. λ.*

Quintil. Inst. orat. l. IX. c. 4. 122. Incisum (quantum mea fert opinio) erit sensus non expleto numero conclusus; plerisque pars membri etc.

10) Saepe enim accidit ut stropha non versibus integris sed et membris, quae versibus minora sunt, constat. Vid. Hephaest. enchirid. ed. *Gaisf.* Lips. 1832. p. 125. *στίχος ἐστὶ ποσὸν μέγεθος μέτρου, ὅπερ οὔτε ἔλαττόν ἐστι τριῶν συζυγιῶν, οὔτε μεῖζον τεσσάρων.*

11) Hephaest. l. l. *Τὸ δὲ ἔλαττον ὂν τριῶν συζυγιῶν, ἐὰν μὲν πλήρεις ἔχῃ τὰς συζυγίας, ἀκατάληκτόν ἐστι καὶ καλεῖται κῶλον, ἐὰν δέ τι ἐλλείπῃ, κόμμα.*

12) Not. ad Heph. p. 396. Mar. Victorin. p. 2497. Colon est membrum, quod finitis constat pedibus; comma, in quo vel pars pedis est. Erit itaque colon, cum integrae fuerint zyzygiae: comma vero, cum imperfectae.

Atilius Fortunat. p. 2689. „Colon est pars sive partes versus integris pedibus impletae ut,

Defecisse videt sua;

habet enim tres pedes similes; comma pars versus sive partes imperfectae ut,

'Arma virumque cano.

Et colon dictum, quasi a corpore abscissum integrum membrum: comma vero, quasi trunca pars membri a corpore amputata."

Sed nihil fere certum hac de re statui potest, quum e rei metro describendae natura pendeat, qua longitudine et versus et membra et incisa futura sint. Cf. *Herm.* epit. ed. II. §. 40.

[13]) Reisig's Vorles. üb. lat. Sprachwiss. herausgeg. von Haase. Lpz. 1839. p. 838. „Incisa sind kurze Sätze, welche nicht über den Umfang von acht Sylben hinausgehen, griechisch *κόμματα* genannt. Membra dagegen sind kurze Sätze, die über dieses Maaß hinausgehen; bei den Griechen heißen sie *κῶλα*." Cf. Cic. Rhet. ad Her. l. IV. c. 19. sub n. 8. antea citatum, ubi primum membrum octo, alterum septem syllabis constat; et Dionys. Hal. c. IX. p. 49, ubi primum membrum sex, alterum septem, tertium vero decem syllabas continet. Quint. l. IX. c. 4. 123. Membra: „O callidos homines" et „O rem excogitatam" etiam septem tantum syllabis constant.

[14]) Vid. not. 7. Ne obliviscamur Ciceronem adverbium „fere" addidise. Quint. l. IX. c. 4. 125. Habet periodus membra minimum duo. Medius numerus videntur quatuor: sed recipit frequenter et plura.

[15]) Cic. orat. c. 67. Nec illud genus (sc. incisim membratimque dicendi) est dicendi aut melius aut fortius, quam binis aut ternis ferire verbis, nonnunquam singulis, paullo alias pluribus etc.

[16]) Cic. de orat. l. III. c. 50. .... quae tamen ipsa membra sunt numeris vincienda. Orat. c. 67. Sed quae incisim aut membratim efferuntur ea vel aptissime (i. e. numerose) cadere debent.

[17]) Cic. orat. c. 64. .... trochaeus, qui habet tres breves.

[18]) Dionys. Hal. pedes in simplices et compositos dividit, c. XVII. p. 104. hac pedis definitione praemissa: „*πὰν ὄνομα καὶ ῥῆμα καὶ ἄλλο μόριον λέξεως, ὅτι μὴ μονοσύλλαβόν ἐστιν, ἐν ῥυθμῷ τινι λέγεται· τὸ δ' αὐτὸ καλῶ πόδα καὶ ῥυθμόν.*" Paginis subsequentibus hos pedes simplices affert:

	◡◡	chor. tribrach.	◡◡◡	—◡◡
	——		———	—◡—
	◡—		◡—◡	——◡
trochaeus	—◡		◡◡—	◡——

pag. 111 pergens: „*οὗτοι δώδεκα ῥυθμοί τε καὶ πόδες εἰσὶν οἱ πρῶτοι καταμετροῦντες ἅπασαν ἔμμετρόν τε καὶ ἄμετρον λέξιν, ἐξ ὧν γίνονται στίχοι τε καὶ κῶλα. Οἱ γὰρ ἄλλοι ῥυθμοὶ καὶ πόδες πάντες ἐκ τούτων εἰσὶ σύνθετοι. ἁπλοῦς δὲ ῥυθμὸς ἢ οὔτ' ἐλάττων ἐστὶ δυοῖν συλλαβῶν, οὔτε μείζων τριῶν.*" Vid. Cic. orat. c. 64. „Jam paeon, quod plures habet syllabas quam tres, numerus a quibusdam non pes habetur."

Uterque igitur paeon et dochmius, e Dionysii sententia, pedes sunt compositi, quamquam paeones altera tantum longa cretici syllaba soluta orti sunt.

Eodem fere modo Quintilianus etiam l. IX. c. IV. 79. 80. disputat: „Sed quia orationem omnem constare pedibus dixi aliqua de his quoque: quorum nomina, quoniam varia traduntur, constituendum est, quo quemque appellemus. Et quidem Ciceronem sequar, ... excepto, quod pes mihi tris syllabas non videtur excedere: quamquam ille paeone dochmioque, quorum prior in quatuor, secundus in quinque excurrit, utatur. Nec tamen ipse dissimulat, quibusdam numeros videri non pedes. Neque immerito. Quidquid enim supra tris syllabas, id est ex pluribus pedibus.

[19]) Idem fere hac de re sentit Dionys. c. XIX. p. 133. *καὶ ἔστι λέξις κρατίστη* ..... *ὅταν ῥυθμοί τ' ἄλλοι καὶ σχήματα παντοῖα κ. τ. λ.*, quamquam, a Quintiliano hanc ob causam l. IX. c. IV. 87 vituperatus, pedem tribrachyn p. 107 damnat et p. 104 pyrrhichium et p. 107 ipsum amphibrachyn minus probat.

Magis autem Quintilianus cum Cicerone consentit, quum l. l. dicat: Miror autem in hac opinione doctissimos homines fuisse, ut alios pedes ita eligerent aliosque damnarent, quasi ullus esset, quem non sit necesse in oratione deprehendi etc. 89: irrumpent (sc. pedes illi rejecti) etiam ad invitos, nec semper illis heroo aut paeone suo, quem, quia versum raro facit, maxime laudant, uti licebit. 91: Miscendi ergo sunt, curandumque ut sint plures qui placent et circumfusi bonis deteriores lateant.

[20]) Cic. orat. c. 57. Paeon minime est aptus ad versum: quo libentius eum recepit oratio.

[21]) Cic. orat. c. 55. Perspicuum est igitur numeris adstrictam orationem esse debere, carere versibus.

[22]) Cic. de orat. l. III. c. 47. .... sunt insignes persussiones eorum numerorum (◡— , ◡◡◡) et minuti pedes.

[23]) Cic. orat. c. 67. Jambus enim et dactylus in versum cadunt maxime.

[24]) Cic. de orat. l. III. c. 47. Quare primum ad heroum nos dactyli et anapaesti et spondei pedem invitat: in quo impune progredi licet duo duntaxat pedes, aut paullo plus, ne plane in versum aut similitudinem versuum incidamus.

25) Cic. de orat. l. III. c. 50. Clausulas autem diligentius etiam servandas esse arbitror, quam superiora, quod in his maxime perfectio atque absolutio judicatur. Nam versus aeque prima et media et extrema pars attenditur, qui debilitatur in quacunque sit parte titubatum: in oratione autem prima pauci cernunt, postrema plerique.

26) Aliter Quintil. l. IX. c. IV. 110. Non me capit (ut a magnis viris dissentiam) paeon ◡◡◡—. Quod quid ita placuerit iis, nisi quod illum fere probaverint, quibus loquendi magis qum orandi studium fuit.

27) Cic. orat. c. 64. Cadit autem per se ille dichoreus (—◡—◡) ipse praeclare: quo etiam satietas formidanda est magis. Me stante C. Carbo, C. F. tribunus plebis in concione dixit..... „Patris dictum sapiens temeritas filii cōmprŏbāvĭt.“ Hoc dichoreo tantus clamor concionis excitatus est, ut admirabile esset. Quaero nonne id numerus effecerit?

28) Aliter Quintil. l. IX. c. IV. 93. Clausula quoque e longis firmissima est: sed cludent etiam breves, quamvis habeatur indifferens ultima. Neque enim ego ignoro, in fine pro longa accipi brevem, quod videtur aliquid vacanti tempori ex eo, quod insequitur, accedere: aures tamen consulens meas, intelligo multum referre, verene longa sit, quae cludit, an pro longa.

29) Cic. orat. c. 57. Ephorus vero ne spondeum quidem, quem fugit, intelligit esse aequalem dactylo, quem probat. Syllabis enim metiendos pedes, non intervallis existimat: quod idem facit in trochaeo, qui temporibus et intervallis est par jambo: sed eo vitiosus in oratione, si ponatur extremus, quod verba melius in syllabas longiores cadunt.

Periodo jam cum stropha comparata singulis strophae versibus aut membris[10]) periodi membra respondebunt. Pro extensione igitur, i. e. pro syllabarum, quibus constat numero, membrum oratorium a membri fere poetici[11]) longitudine proficisci neque versus facile mensuram excedere poterit. Sed ut strophae et versuum modus sola ratione finitur, qua poeta rem celebrandam intuetur: sic periodi etiam membrorumque circuitus nonnisi in rei describendae natura positus est, ad quam is, qui dicit limites ut totius orationis, ita etiam periodorum et membrorum accommodet necesse est.

In oratione igitur publice habenda periodum quatuor versuum hexametrorum mensuram transgredi vix fas erit quum facile fieri possit ut longior circuitus longiorave membra eorum, qui audiunt aures et mentem, sensu nimis distracto dilatoque, effugiant. Membri igitur productio; pro syllabarum numero, hexametri mensuram haud facilie superaverit. Rebus sic se habentibus incisum (κόμμα), salva hac periodi membrique extensione, ejusmodi ferme hexametri inciso ex syllabarum numero par esse poterit, quod caesura illa post tertii pedis arsim adhibita, ut ita dicam, amputatur.[12]) Sed qui membri incisique longitudinem adeo accurate[13]) definitam vult, ne qua forte syllaba a numero constituto absit, is frustra operam suam impenderit. Nam quum id maxime inter orationem solutam et vinctam intersit, quod illa libere profluit, haec autem metro proposito cohibetur: in libera oratione

nec periodi alicujus nec membri neque incisi extensio priusquam pronuntiata sint, ad certum syllabarum numerum redigi poterit. Quamquam enim alia periodus quatuor membris continetur,[14]) quid obstat quonimus alia, si sententiae natura hoc postulat, quinque vel sex membris comprehendatur, modo ne ejus, qui dicit, spiritus neve eorum, qui audiunt mentes illa productione nimis impediantur? Sic membri etiam incisique natura et differentia non in syllabarum numero posita est, sed e cogitatione verbis exprimenda, utrum membris an incisis utendum sit, pendebit et quali utrumque sit mensura. Nam quamquam incisi vis eo erit acutior[15]), quo brevius est: tamen eo non membrum fiet, si forte syllabarum numerum supra allatum excesserit. Neque membrum in periodum mutabitur si una fortasse syllaba hexametro longius erit, neque incisi naturam eo induet, si forte, sententia id postulante, eodem quo incisum est numero syllabarum.

Ut in poemate singuli suum numerum versus obtinent: sic etiam in oratione eodem, quo periodus, modo suum quodvis membrum et incisum numerum habeat oportet.[16]) Partes autem, quibus periodus constat, modificatae esse debent (Cic. de orat. l. III. c. 48); quae si in extremo breviores sunt, infringitur ille quasi verborum ambitus. „Quare aut paria esse, debent posteriora superioribus, extrema primis, aut, quod etiam est melius et jucundius, longiora.“

Jam quod ad pedes attinet hi notandi sunt, quum maxime in oratione reperiantur:

◡ — Jambus
— ◡ Choreus
◡◡◡ Trochaeus [17])
— ◡◡ Dactylus
◡◡ — Anapaestus
— — Spondeus
— ◡◡◡ Paeon prior
◡◡◡ — Paeon posterior
— ◡ — Creticus
◡ — — ◡ — Dochmius. [18])

Quibus omnibus in oratione permiste[19]) est utendum: „nec enim effugere possemus (Cic. orat. c. 57) animadversionem, si semper iisdem uteremur; quia neque numerosa ut poema, neque extra numerum, ut sermo vulgi esse debet oratio. Sit igitur permista et implicata numeris, nec dissoluta, nec tota numerosa, paeone[20]) maxime (quoniam optimus auctor, sc. Aristoteles, ita censet) sed reliquis etiam numeris, quos ille (idem Aristoteles) praeterit, temperata.“

Neque vero tanta industria ad illos pedes aspirandum est, qua periodi sensus laboret. „Neque vos paeon (Cic. de orat. l. III. c. 50) aut herous ille conturbet. Ipsi occurrent orationi; ipsi, inquam, se offerent et respondebunt non vocati.“

Omnium id maxime est cavendum ne in versum neve in versus similitudinem[21]) illabatur oratio; quam ob rem nullo pede toties repetito utendum erit, ut aures eo versum confici sentiant. Jambi igitur frequentes[22]) imprimis sunt evitandi, quum iis versus facile oriatur ortusque ab auditoribus agnoscatur.[23]) Ut vero jambis sic ceteris etiam pedibus iteratis abstinendum est et prospiciendum ne duobus aut, quod est maximum, tribus plures deinceps ponantur.[24])

In quovis verborum ambitu principium ac finis praesertim sunt consideranda; „nascatur a proceris numeris ac liberis (Cic. de orat. l. III. c. 50) maxime heroo — ◡◡ aut paeone — ◡◡◡ priore, aut cretico — ◡ —, sed varie distincteque considat.“ Magis autem quam principium periodi finis numerosus sit oportet. „Notatur enim maxime (l. c.) similitudo in conquiescendo,“[25]) Duo vero aut tres sunt fere extremi servandi et notandi pedes, si modo non breviora et praecisa erunt superiora; quos aut choreos aut heroos aut alternos esse oportebit, aut in paeone illo posteriore,[26])

quem Aristoteles probat, aut ei pari cretico, qui in clausula vel paeoni illi est praeferendus. Clausula perquam numerosa dichoreo —◡—◡[27]) continetur, dummodo raro adhibeatur; nam „in oratione nihil est tam vitiosum, quam si semper est idem“ (Cic. orat. c. 64). Ne spondeus quidem funditus est repudiandus. Etsi, quod est e longis duabus, hebetior videtur et tardior, habet tamen stabilem quendam et non expertem dignitatis gradum. Ne jambus quidem, aut par trochaeus ◡◡◡, aut etiam dactylus parum volubiliter pervenit ad extremum, si eos sequitur choreus —◡, aut spondeus. Neque enim quidquam interest, uter sit eorum in extremo, quia postrema syllaba brevis an longa sit in ipso versu nihil refert.[28]) Sed iidem hi tres pedes —◡, ◡◡◡,[29]) —◡◡ male concludunt si quis eorum in extremo locatus est, nisi quum pro cretico postremus est dactylus —◡⏓. Dochmius autem (Cic. l. c.) quovis loco aptus est, dum semel ponatur; iteratus, aut continuatus numerum apertum et nimis insignem facit.

Sin verborum comprehensionis principium ac terminus hac ratione sunt pedibus composita, „medii[30]) (sc. pedes) possunt latere, modo ne circuitus ipse verborum sit aut brevior quam aures exspectent, aut longior quam vires atque anima patiatur.“

Jam quum de pedibus, qui in periodo reperiuntur, sermo fuerit, hoc mihi liceat schema afferre, ut uno obtutu tota res intelligi queat.

Periodus

oriens.	*media.*	*cadens.*
—◡◡ herous	medii latere	—◡—◡ dichoreus
—◡◡◡ paeon prior	possunt pedes.	—◡◡—◡⏓ herous cum ancipite
—◡— creticus		—◡◡—— spondeus
◡——◡— dochmius.		—◡—◡⏓ chor. dactyl. cum ancipite
		◡◡◡— paeon posterior
		—◡— creticus
		◡— / ◡◡◡ / —◡◡ } —⏓
		—◡⏓ dactyl. cum ancip.
		◡——◡— dochmius.

Major etiam pro numero quidem diligentia in membris et incisis[31]) quam in periodis conficiendis adhibenda est. Quae, quum paucis[32]) tantum vocabulis constent, saepe prorsus numerosa sunt i. e. meris pedibus continentur. Praeter reliquos pedes spondeo etiam vel apte in iis est utendum. (Cic. orat. c. 64) „Paucitatem enim pedum gravitatis suae tarditate compensat.“ „Nam in illis, quibus ut pugiunculis (orat. c. 67) uti oportet, brevitas facit ipsa liberiores pedes. Saepe enim singulis utentum est, plerumque binis (et utrisque addi pedis pars potest), non fere ternis amplius.“

Jam quum viderimus, quomodo numerus oriatur oratorius, restat ut de significatione ejus disseramus. Quae quum pedis natura contineatur, hoc accuratius explicato, ipsam cognitam habebimus.

Pes, de genere nunc disputo, qui ad numerum adhibetur, trifariam est divisa (Cic. orat. c. 56). Nam aut altera alteri parti aequalis, aut alterius dimidium, aut sesqui major est. Unde, si hanc pedis genuinam figuram statuimus — —, hi tres pedes

—◡◡ , ◡— , ◡◡◡—

derivantur. Quorum pedum „jambus frequentissimus est in iis, quae demisso atque humili sermone dicuntur; paeon autem in amplioribus; in utroque dactylus. Ita in varia et perpetua oratione hi sunt inter se miscendi et temperandi. Sic minime animadvertetur delectationis aucupium et quadrandae orationis industria, quae latebit eo magis, si et verborum et sententiarum ponderibus utemur

(Cic. orat. c. 58)." Reliqui vero pedes ⏑⏑—, —⏑, —⏑⏑⏑, ——, ⏑⏑⏑, —⏑—, pro syllabarum aut brevium, aut longarum, quibus constant compositione aut cursum, aut tarditatem significant et pro sententiae natura erunt eligendi.[33])

[1]) Cic. orat. c. 20. Nam etiam poetae quaestionem attulerunt, quidnam esset illud, quo ipsi different ab oratoribus. Numero maxime videbantur antea et versu: nunc apud oratores jam ipse numerus increbruit. c. 56. Sed hi numeri (sc. orationis) poeticine sint, an ex alio genere quodam, deinceps est videndum. Nullus est igitur numerus extra poeticos, propterea quod definita sunt genera numerorum. c. 60. Si quae res efficiat voluptatem (in numero oratorio quaeritur): eadem, quae in versibus, quorum modum notat ars, sed aures ipsae tacito eum sensu sine arte definiunt.

[2]) Cic. orat. c. 68. .... sed ordo pedum facit, ut id, quod pronuntiatur aut orationis, aut poematis simile videatur etc.

[3]) Cic. orat. c. 58. Nec vero is cursus est numerorum, orationis dico, nihil ut fiat extra modum; nam id quidem esset poema; sed omnis nec claudicans, nec quasi fluctuans et aequaliter constanterque ingrediens numerosa habetur oratio. Atque id in dicendo numerosum putatur, quod non totum constat e numeris, sed quod ad numeros proxime accedit etc. Cic. de orat. l. III. c. 44. Versus enim veteres illi in hac soluta oratione propemodum, hoc est, numeros quosdam nobis esse adhibendos putaverunt.

[4]) Cic. orat. c. 65. Multum interest, utrum numerosa sit, i. e. similis numerorum, an plane e numeris constet oratio.

[5]) Cic. orat. c. 66. Constat ambitus et plena comprehensio e quatuor fere partibus, quae membra dicimus. — His igitur singulis versibus (sc. membris) quasi nodi apparent continuationis, quos in ambitu conjungimus.

[6]) Cic. de orat. l. III. c. 44. Interspirationes enim non defatigatione nostra neque librariorum notis, sed verborum et sententiarum modo interpunctas clausulas in orationibus esse voluerunt. Cic. orat. c. 68. Hanc igitur sive compositionem, sive perfectionem, sive numerum vocari placet, adhibere necesse est, si ornate velis dicere non solum..... ne infinite feratur, ut flumen oratio, quae non aut spiritu pronuntiantis, aut interductu librarii, sed numero coacta debet insistere: verum etiam etc.

[7]) Cic. orat. c. 66. E quatuor igitur quasi hexametrorum instar versuum quod sit, constat fere plena comprehensio.

[8]) Cic. orat. c. 66. Sin membratim volumus dicere insistimus. Rhet. ad Her. l. IV. c. 19. Membrum orationis appellatur res breviter absoluta sine totius sententiae demonstratione, quae denuo alio membro orationis excipitur hoc modo: „Et inimico proderas." Id est unum, quod appellatur membrum. Deinde hoc excipiatur oportet ab altero: „Et amicum laedebas." Ex duobus membris haec exornatio potest constare: sed commodissima et absolutissima est, quae ex tribus constat hoc pacto: „Et inimico proderas, et amicum laedebas, et tibi ipsi non consulebas." Item: „Nec reipublicae consuluisti, nec amicis profuisti, nec inimicis restitisti."

Dionys. Hal. de verb. comb. c. II. p. 9. *πλὴν ἤγε τῶν πρώτων, εἴτε τῶν τριῶν, ἢ τεττάρων, εἶθ' ὅσων δή ποτε ὄντων μερῶν πλοκὴ καὶ παράθεσις, τὰ λεγόμενα ποιεῖ κῶλα. ἔπειθ' ἡ τούτων ἁρμονία τὰς καλουμένας συμπληροῖ περιόδους· αὗται δὲ τὸν σύμπαντα τελειοῦσι λόγον.*

Quintil. Inst. orat. l. IX. c. 4. 123. Membrum autem est sensus numeris conclusus, sed a toto corpore abruptus et per se nihil efficiens.

[9]) Cic. orat. c. 67. „Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas." Haec incise dicta sunt quatuor.

Dionys. de verb. comp. c. XXVI. p. 213. *πολλάκις δὲ καὶ εἰς κόμματα συνάγειν βραχύτερα κώλων κ. τ. λ.*

Quintil. Inst. orat. l. IX. c. 4. 122. Incisum (quantum mea fert opinio) erit sensus non expleto numero conclusus; plerisque pars membri etc.

[10]) Saepe enim accidit ut stropha non versibus integris sed et membris, quae versibus minora sunt, constat. Vid. Hephaest. enchirid. ed. *Gaisf.* Lips. 1832. p. 125. *στίχος ἐστὶ ποσὸν μέγεθος μέτρου, ὅπερ οὔτε ἔλαττόν ἐστι τριῶν συζυγιῶν, οὔτε μεῖζον τεσσάρων.*

[11]) Hephaest. l. l. *Τὸ δὲ ἔλαττον ὂν τριῶν συζυγιῶν, ἐὰν μὲν πλήρεις ἔχῃ τὰς συζυγίας, ἀκατάληκτόν ἐστι καὶ καλεῖται κῶλον, ἐὰν δέ τι ἐλλείπῃ, κόμμα.*

[12]) Not. ad Heph. p. 396. Mar. Victorin. p. 2497. Colon est membrum, quod finitis constat pedibus; comma, in quo vel pars pedis est. Erit itaque colon, cum integrae fuerint zyzygiae: comma vero, cum imperfectae.

Atilius Fortunat. p. 2689. „Colon est pars sive partes versus integris pedibus impletae ut,

Defecisse videt sua;

habet enim tres pedes similes; comma pars versus sive partes imperfectae ut,

'Arma virumque cano.

Et colon dictum, quasi a corpore abscissum integrum membrum: comma vero, quasi trunca pars membri a corpore amputata.“

Sed nihil fere certum hac de re statui potest, quum e rei metro describendae natura pendeat, qua longitudine et versus et membra et incisa futura sint. Cf. *Herm.* epit. ed. II. §. 40.

13) Reisig's Vorles. üb. lat. Sprachwiss. herausgeg. von Haase. Lpz. 1839. p. 838. „Incisa sind kurze Sätze, welche nicht über den Umfang von acht Sylben hinausgehen, griechisch *κόμματα* genannt. Membra dagegen sind kurze Sätze, die über dieses Maaß hinausgehen; bei den Griechen heißen sie *κῶλα*.“ Cf. Cic. Rhet. ad Her. l. IV. c. 19. sub n. 8. antea citatum, ubi primum membrum octo, alterum septem syllabis constat; et Dionys. Hal. c. IX. p. 49, ubi primum membrum sex, alterum septem, tertium vero decem syllabas continet. Quint. l. IX. c. 4. 123. Membra: „O callidos homines“ et „O rem excogitatam“ etiam septem tantum syllabis constant.

14) Vid. not. 7. Ne obliviscamur Ciceronem adverbium „fere“ addidise. Quint. l. IX. c. 4. 125. Habet periodus membra minimum duo. Medius numerus videntur quatuor: sed recipit frequenter et plura.

15) Cic. orat. c. 67. Nec illud genus (sc. incisim membratimque dicendi) est dicendi aut melius aut fortius, quam binis aut ternis ferire verbis, nonnunquam singulis, paullo alias pluribus etc.

16) Cic. de orat. l. III. c. 50. .... quae tamen ipsa membra sunt numeris vincienda. Orat. c. 67. Sed quae incisim aut membratim efferuntur ea vel aptissime (i. e. numerose) cadere debent.

17) Cic. orat. c. 64. .... trochaeus, qui habet tres breves.

18) Dionys. Hal. pedes in simplices et compositos dividit, c. XVII. p. 104. hac pedis definitione praemissa: „*πᾶν ὄνομα καὶ ῥῆμα καὶ ἄλλο μόριον λέξεως, ὅτι μὴ μονοσύλλαβόν ἐστιν, ἐν ῥυθμῷ τινι λέγεται· τὸ δ' αὐτὸ καλῶ πόδα καὶ ῥυθμόν.*“ Paginis subsequentibus hos pedes simplices affert:

	◡ ◡	chor. tribrach.	◡ ◡ ◡	— ◡ ◡
	— —		— — —	— ◡ —
	◡ —		◡ — ◡	— — ◡
trochaeus	— ◡		◡ ◡ —	◡ — —

pag. 111 pergens: „*οὗτοι δώδεκα ῥυθμοί τε καὶ πόδες εἰσὶν οἱ πρῶτοι καταμετροῦντες ἅπασαν ἔμμετρόν τε καὶ ἄμετρον λέξιν, ἐξ ὧν γίνονται στίχοι τε καὶ κῶλα. Οἱ γὰρ ἄλλοι ῥυθμοὶ καὶ πόδες πάντες ἐκ τούτων εἰσὶ σύνθετοι. ἁπλοῦς δὲ ῥυθμὸς ἢ οὔτ' ἐλάττων ἐστὶ δυοῖν συλλαβῶν, οὔτε μείζων τριῶν.*“ Vid. Cic. orat. c. 64. „Jam paeon, quod plures habet syllabas quam tres, numerus a quibusdam non pes habetur.“

Uterque igitur paeon et dochmius, e Dionysii sententia, pedes sunt compositi, quamquam paeones altera tantum longa cretici syllaba soluta orti sunt.

Eodem fere modo Quintilianus etiam l. IX. c. IV. 79. 80. disputat: „Sed quia orationem omnem constare pedibus dixi aliqua de his quoque: quorum nomina, quoniam varia traduntur, constituendum est, quo quemque appellemus. Et quidem Ciceronem sequar, ... excepto, quod pes mihi tris syllabas non videtur excedere: quamquam ille paeone dochmioque, quorum prior in quatuor, secundus in quinque excurrit, utatur. Nec tamen ipse dissimulat, quibusdam numeros videri non pedes. Neque immerito. Quidquid enim supra tris syllabas, id est ex pluribus pedibus.

19) Idem fere hac de re sentit Dionys. c. XIX. p. 133. *καὶ ἔστι λέξις κρατίστη ..... ὅταν ῥυθμοί τ' ἄλλοι καὶ σχήματα παντοῖα κ. τ. λ.*, quamquam, a Quintiliano hanc ob causam l. IX. c. IV. 87 vituperatus, pedem tribrachyn p. 107 damnat et p. 104 pyrrhichium et p. 107 ipsum amphibrachyn minus probat.

Magis autem Quintilianus cum Cicerone consentit, quum l. l. dicat: Miror autem in hac opinione doctissimos homines fuisse, ut alios pedes ita eligerent aliosque damnarent, quasi ullus esset, quem non sit necesse in oratione deprehendi etc. 89: irrumpent (sc. pedes illi rejecti) etiam ad invitos, nec semper illis heroo aut paeone suo, quem, quia versum raro facit, maxime laudant, uti licebit. 91: Miscendi ergo sunt, curandumque ut sint plures qui placent et circumfusi bonis deteriores lateant.

20) Cic. orat. c. 57. Paeon minime est aptus ad versum: quo libentius eum recepit oratio.

21) Cic. orat. c. 55. Perspicuum est igitur numeris adstrictam orationem esse debere, carere versibus.

22) Cic. de orat. l. III. c. 47. .... sunt insignes persussiones eorum numerorum (◡ — , ◡◡◡) et minuti pedes.

23) Cic. orat. c. 67. Jambus enim et dactylus in versum cadunt maxime.

24) Cic. de orat. l. III. c. 47. Quare primum ad heroum nos dactyli et anapaesti et spondei pedem invitat: in quo impune progredi licet duo duntaxat pedes, aut paullo plus, ne plane in versum aut similitudinem versuum incidamus.

25) Cic. de orat. l. III. c. 50. Clausulas autem diligentius etiam servandas esse arbitror, quam superiora, quod in his maxime perfectio atque absolutio judicatur. Nam versus aeque prima et media et extrema pars attenditur, qui debilitatur in quacunque sit parte titubatum: in oratione autem prima pauci cernunt, postrema plerique.

26) Aliter Quintil. l. IX. c. IV. 110. Non me capit (ut a magnis viris dissentiam) paeon ◡◡◡—. Quod quid ita placuerit iis, nisi quod illum fere probaverint, quibus loquendi magis qum orandi studium fuit.

27) Cic. orat. c. 64. Cadit autem per se ille dichoreus (—◡—◡) ipse praeclare: quo etiam satietas formidanda est magis. Me stante C. Carbo, C. F. tribunus plebis in concione dixit..... „Patris dictum sapiens temeritas filii cōmprŏbāvĭt." Hoc dichoreo tantus clamor concionis excitatus est, ut admirabile esset. Quaero nonne id numerus effecerit?

28) Aliter Quintil. l. IX. c. IV. 93. Clausula quoque e longis firmissima est: sed cludent etiam breves, quamvis habeatur indifferens ultima. Neque enim ego ignoro, in fine pro longa accipi brevem, quod videtur aliquid vacanti tempori ex eo, quod insequitur, accedere: aures tamen consulens meas, intelligo multum referre, verene longa sit, quae cludit, an pro longa.

29) Cic. orat. c. 57. Ephorus vero ne spondeum quidem, quem fugit, intelligit esse aequalem dactylo, quem probat. Syllabis enim metiendos pedes, non intervallis existimat: quod idem facit in trochaeo, qui temporibus et intervallis est par jambo: sed eo vitiosus in oratione, si ponatur extremus, quod verba melius in syllabas longiores cadunt.

30) Idem Quintil. l. IX. c. IV. 66. Mediis quoque non ea modo cura sit, ut inter se cohaereant, sed ne pigra ne longa sint: ne, quod nunc maxime vitium est brevium contextu resultent ac sonum reddant paene puerilium crepitaculorum.

31) Cic. orat. c. 66. Sed nihil tam debet esse numerosum, quam hoc, quod minimum apparet, sed valet plurimum. Ex hoc genere illud est Crassi: „Missos faciunt patronos: ipsi prodeant." Nisi intervallo dixisset „ipsi prodeant," sensisset profecto effugisse senarium. Vid. not. 16.

32) Vid. not. 15.

33) Cic. orat. c. 60. Ita, si numerus oratorius quaeritur qui sit, omnis est; sed alius alio melior atque aptior. Quint. l. IX. c. IV. 91. Plurimum igitur auctoritatis, ut dixi, et ponderis babent longae, celeritatis breves: quae si miscentur quibusdam longis, currunt, si continuantur, exultant etc.

CAP. IV. De sono.

Cic. orat. c. 59. *Ita fit, ut non item in oratione, ut in versu, numerus exstet, idque, quod numerosum in oratione dicitur, non semper numero fiat, sed nonnunquam aut concinnitate aut constructione verborum.*

Ante numerum in oratione adhibitum vocis modulatio, qua, pro opportuna literarum connexione, aut tota sententia, aut singula vocabula pronuntiantur, ejus in oratione locum obtinebat. Quae vocis modulatio, sonus appellata, postea etiam in oratione permansit, cui numerus quasi quandam palaestram et extrema lineamenta attulit. Dum enim numerum ejusmodi syllabarum ordine usum vidimus, qua pedes passim oriantur, sono[1]) sententia ita verbis exprimitur ut locutio vocis modulatione fluens atque aequabiliter, perpolita procedat. Sono igitur, nisi quando fortuito, numerus non continetur. Quod quo melius appareat soni naturam accuratius jam consideremus atque explicemus.

Sonus aut in collocatione, aut in concinnitate[2]) verborum est positus. Primum igitur quid sit collocationis investigemus.

„Collationis est (Cic. de orat. l. III. c. 31) componere et struere verba sic ut neve asper eorum concursus, neve hiulcus sit, sed quodammodo coagmentatus et laevis."[3])

Ejusmodi verborum compositio nascetur „si fugiemus (Cic. Rhet. ad Her. l. IV. c. 12) crebras vocalium concursiones, quae vastam atque hiantem orationem reddunt, ut hoc est: „Baccae

aeneae amoenissimae impendebant"; et, si vitabimus ejusdem literae nimiam assiduitatem; cui vitio versus hic erit exemplo: (nam hic nihil prohibet in vitiis, alienis exemplis uti;)

„O Tite tute Tati, tibi tanta tyranne tulisti;"

et si ejusdem verbi assiduitatem nimiam fugiemus; ea est hujus modi: „Nam cujus rationis ratio non exstet, ei rationi ratio non est fidem habere"; et si non utemur continenter similiter cadentibus verbis; hoc modo:

„Flentes, plorantes, lacrimantes, obtestantes";

et si verborum transjectionem vitabimus, nisi quae erit concinna; quo in vitio est Lucilius assiduus, ut hoc est in priore libro:

„Has res ad te scriptas, Luci, misimus Aeli."

Item fugere oportet longam verborum continuationem, quae et auditoris aures, et oratoris spiritum laedit.

Haec de sono, qui verborum collocatione continetur.

Verborum concinnitas [4]) formis quibusdam orationis constat. „Nam quum aut par pari refertur (Cic. orat. c. 65), aut contrarium contrario opponitur, aut, quae similiter cadunt verba, verbis comparantur: quidquid ita concluditur plerumque fit ut numerose cadat."

Id genus orationis, quo par pari refertur i. e. quod habet in se membra orationis, quae constent (Cic. Rhet. ad Her. l. IV. c. 20) ex pari fere numero syllabarum, compar appellatur. „Hoc non dinumeratione fiet (nam id quidem puerile), sed tantum afferet usus et exercitatio facultatis, ut animi quodam sensu par membrum superiori referre possimus, hoc modo: „In proelio mortem pater oppetebat, domi filius nuptias comparabat; haec omnia graves casus administrabant." Item: „Alii fortuna facilitatem dedit, huic industria virtutem comparavit." In hoc genere saepe fieri potest, ut non plane par sit numerus syllabarum et tamen esse videatur, si unâ, aut etiam alterâ syllaba est alterutrum brevius: aut si, quum in altero plures sunt, in altero longior, aut longiores, plenior, aut pleniores syllabae erunt: ut longitudo aut plenitudo harum multitudinem alterius assequatur et exaequet."

Contrarium opponitur contrario, quum „ex rebus diversis duabus (Cic. Rhet. ad Her. l. IV. c. 18) altera breviter et facile confirmatur, hoc pacto: „Nam qui suis rationibus inimicus fuerit semper, eum quomodo alienis rebus amicum fore speres?" Et item: „Nam quem in amicitia perfidiosum cognoveris, eum quare putes inimicitias cum fide habere posse?" Et: „Qui privatus intolerabili superbia fuerit, eum commodum et sui cognoscentem fore in potestate, qui speres?" Et: „Qui in sermonibus et in conventu amicorum verum dixerit nunquam, eum sibi in concionibus credis a mendacio temperaturum?" Hoc exornationis genus brevibus et continuatis membris perfectum esse debet, et quum commodum est auditu propter brevem et absolutam conclusionem, tum vero vehementer id, quod opus est oratori, comprobat contraria re et ex eo, quod dubium non est, expedit illud, quod dubium est, ut aut dilui non possit, aut multo difficillime possit."

Similiter cadens (Cic. Rhet. ad Her. l. IV. c. 20) exornatio appellatur, quum in eadem constructione verborum duo aut plura sunt verba, quae similiter iisdem casibus efferuntur, hoc modo: „Hominem laudas egentem virtutis, abundantem felicitatis." Item: „cujus omnis in pecunia spes est, ejus a sapientia est animus remotus." — Similiter desinens est, quum tametsi casus non insunt in verbis, tamen similes exitus sunt, hoc pacto: „Turpiter audes facere, nequiter studes dicere." Item: „Vivis invidiose, relinquis studiose, loqueris odiose." Haec duo genera, quorum alterum in exitus, alterum in casus similitudine versatur inter se vehementer conveniunt: et ea re his, qui bene utuntur plerumque simul ea collocant in iisdem partibus orationis. Id hoc pacto fieri oportet: „Perditissima

ratio est amorem petere, pudorem fugere; diligere formam, negligere famam." Hic et ea verba, quae casus habent ad casus similes, et illa, quae non habent, ad similes exitus veniunt."

Quamvis et numero et sono oratio suavis fiat, tamen iis, quae de utriusque natura prolata sunt, alterum ab altero diversum esse dilucide apparet. Dum enim numero poeticus (i. e. metrum et ictus), sono musicus color (i. e. melodia) orationi infertur. Utroque autem simul opus est ut oratio perfecta atque ab omni parte absoluta i. e. ornata fiat.

[1]) Cic. orat. c. 48. Duae sunt igitur res, quae permulceant aures, sonus et numerus. Verba legenda sunt potissimum bene sonantia etc.

[2]) Cic. orat. c. 44. Collocabuntur igitur verba, ut aut inter se quam aptissime cohaereant extrema cum primis eaque sint quam suavissimis vocibus, aut ut forma ipsa concinnitasque verborum conficiat orbem suum.

[3]) Cic. orat. c. 31. Sed est tamen haec collocatio conservanda verborum, de qua loquor, quae junctam orationem efficit, quae cohaerentem, quae lenem, quae aequabiliter fluentem. Id assequemini, si verba extrema cum consequentibus primis ita jungetis, ut neve aspere concurrant, neve vastius diducantur. c. 44. Nam ut in legendo oculus, sic animus in dicendo prospiciet quid sequatur, ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus aut hiulcas voces efficiat, aut asperas...... Quod quidem latina lingua sic observat, nemo ut tam rusticus sit, qui vocales nolit conjungere. (vocales conjungere est: hiatum vitare elidenda altera vocali; contrarium est vocales distrahere i. e. sine elisione pronuntiare.)

[4]) Cic. orat. c. 49. Nec solum componentur verba ratione, sed etiam finientur, quoniam id judicium esse alterum aurium diximus. Sed finiuntur aut compositione ipsa, aut quasi sua sponte, et quodam genere verborum, in quibus ipsis concinnitas inest: quae sive casus habent in exitu similes, sive paribus paria redduntur, sive opponuntur, suapte natura numerosa sunt, etiamsi nihil est factum de industria........ quo de genere illa nostra sunt in Miloniana: „Est enim, judices, haec non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti sed imbuti sumus." Haec enim talia sunt ut, quia referuntur ad ea, ad quae debent referri, intelligamus non quaesitum esse numerum sed secutum. Quod fit item in contrariis referendis; ut illa sunt, quibus non modo numerosa oratio, sed etiam versus efficitur: „Eam, quam nihil accusas, damnas." Condemnas diceret, qui versum effugere vellet....... Semper haec, quae Graeci ἀντίθετα nominant, quum contrariis opponuntur contraria, numerum oratorium necessitate ipsa efficiunt, etiam sine industria. Nos etiam in hoc genere frequentes, ut illa sunt in quarta accusationis (Verr. IV. 52). „Conferte hanc pacem cum illo bello: hujus praetoris adventum cum illius imperatoris victoria: hujus cohortem impuram cum illius exercitu invicto: hujus libidines cum illius continentia: ab illo, qui cepit, conditas; ab hoc, qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas."

CAP. V. Soni ac numeri historia.

Cic. orat. c. 50. *Nec ego id, quod deest antiquitati flagito potius, quam laudo, quod est: praesertim quum ea majora judicem, quae sunt, quam illa, quae desunt. Plus est enim in verbis et in sententiis boni, quibus illi excellunt, quam in conclusione sententiarum, quam non habent. Post inventa conclusio est, qua credo usuros veteres illos fuisse, si jam nota atque usurpata res esset, qua inventa omnes usos magnos oratores videmus.*

Arte rhetorica a Corace et Tisia Syracusis inventa neque sonus neque numerus, nisi quando casu et fortuito, ad orationem exornandam accesserant. Deinde quum jam Athenas sedem sibi elegisset ibique imprimis efflloresceret, Gorgias [1]) Leontinus Sophista primus fuit qui in dicendo verborum concinnitati operam dedit. Atque hoc genere antiqui delectabantur. Verba eligebant et sententias graves et suaves reperiebant, sed eas aut vinciebant, aut explebant parum. „Itaque (Cic. orat. c. 65) si quae veteres illi (Herodotum [2]) dico et Thucydidem totamquae eam aetatem) apte numeroseque dixerunt, ea non numero quaesito, sed verborum collocatione ceciderunt."

Numerum denique orationi adeo excultae addidit Isocrates,[3]) „cujus domus cunctae Graeciae quasi ludus quidam patuit atque officina dicendi, magnus orator et perfectus magister (Cic. Brut. c. 8.), quamquam forensi luce caruit, intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo, meo quidem judicio, est postea consecutus. Is et ipse scripsit multa praeclare et docuit alios; et quum cetera melius, quam superiores, tum primus intellexit, etiam in soluta oratione, dum versum effugeres, modum tamen et numerum quendam oportere servari.“ [4])

Sed dum Isocrates variis pedibus, jambis etiam et anapaestis[5]) utitur, Thrasymachus,[6]) ejus discipulus paeonem primus in orationem introduxit, quo omnium pedum solo numerum oratorium constare Aristoteles, vehemens Isocratis adversarius[7]) arte sua rhetorica (l. III. c. 8) ostendere conatus est. Paeon enim unicus est pes, quo versus non conficitur.[8]) Quodsi igitur Aristotelem secuti paeonem graecae quidem orationi aptissimum habemus et solum, quo numerus oratorius contineatur, Thrasymachus jure auctor ejus[9]) fuisse dicitur.

Orationem igitur vidimus primo nudam fuisse, deinde sono accedente exornari coeptae numeri ornamentum novissimum esse adjectum.

Jam numeri naturam philosophi atque inter eos Aristoteles imprimis indagare studuerunt. Qui ubi pedum, quibus numerus constat, naturam quam accuratissime investigavit,[10]) numeri ipsius notionem definivit et interpres fuit subtilis atque ingeniosus eorum, quorum neque oratores neque rhetores, sensum solum secuti, cur ita fecissent rationes nullas habuerunt.[11]) Aristotelem ducem Theodectes[12]) et Theophrastus[13]) discipuli sunt secuti.

Dum jam per quadringentos fere annos[14]) sonum ac numerum a Graecis in oratione adhibitum videmus: dictio latina nuda adhuc ac rudis paene fuerat.

M. T. Cicero Romanorum primus ac princeps, Graecorum oratorum rhetorumque operibus perlectis, soni numerique naturam latino sermoni accommodare adaptatamque scriptis suis rhetoricis explicare studuit. Is majorem, quam Aristoteles, pedum varietatem patriae linguae vindicavit; quapropter Isocratem primum orationi numerum intulisse suo quoque cum jure praedicat, quum is vel ante Thrasymachum, quamquam non paeonibus, tamen aliis jam pedibus, etsi ab Aristotele rejectis, in orationibus usus sit.

Ut Aristotelem igitur ea maxime probantem videmus, quae Thrasymachus fecerat: sic Cicero Thrasymachi atque Isocratis numerum in unum conjunctum investigavit omnibusque pedibus permiste utendum esse docuit.

Sic tandem in latino etiam sermone periodos artificiosissime constructas dithyramborum[15]) instar progredi animadvertimus, quorum membra et pedes, ut ait idem Theophrastus (Cic. de orat. l. III. c. 48) sunt in omni locupleti oratione diffusa.

[1]) Cic. orat. c. 49. In hujus concinnitatis consectatione Gorgiam fuisse principem accepimus, ... cujus in oratione plerumque efficit numerum ipsa concinnitas.

[2]) Cic. orat. c. 55. Itaque et Herodotus et eadem superior aetas numero caruit, nisi quando temere ac fortuito; et scriptores perveteres de numero nihil omnino, de oratione praecepta multa nobis reliquerunt. Cic. Brut. c. 8. Ante hunc enim (sc. Isocratem) verborum quasi structura et quaedam ad numerum conclusio nulla erat; aut, si quando erat, non apparebat eam dedita opera esse quaesitam; quae forsitan laus sit; verumtamen natura magis tum, casuque nonnunquam, quam aut ratione aliqua, aut observatione fiebat. Ipsa enim natura circumscriptione quadam comprehendit concluditque sententiam: quae, quum aptis constricta verbis est, cadit etiam plerumque numerosa.

A Cicerone hac in re dissentiunt Dionys. et Quintil. Dionys. c. XI. p. 53. *ἐξ ὧν δὲ οἴομαι γενήσεσθαι λέξιν ἡδεῖαν καὶ καλὴν, τέτταρά ἐστι τὰ κυριώτατα ταῦτα καὶ κράτιστα, μέλος καὶ ῥυθμὸς, καὶ μεταβολὴ, καὶ τὸ παρακολουθοῦν τοῖς τρισὶ τούτοις πρέπον.* c. X. p. 53. *ἡ δὲ Ἡροδότου σύνθεσις ἀμφότερα ταῦτα ἔχει· καὶ*

γὰρ ἡδεῖά ἐστι καὶ καλή. Unde sonum ac numerum, sicubi est, ab Herodoto jam de industria esse quaesitum, Dionysio persuasum fuisse apparet.

Quintil. l. IX. c. 4. 16—19. Neque enim mihi, quamlibet magnus auctor, Cicero persuaserit, Lysiam, Herodotum, Thucydidem parum studiosos ejus (sc. componendi artis) fuisse etc. .... Et historiae (quae currere debet ac ferri) minus convenissent insistentes clausulae, et debita actionibus respiratio, et cludendi inchoandique sententias ratio. In concionibus quidem etiam similiter cadentia quaedam, et contraposita deprehendas. In Herodoto vero cum omnia (ut ego quidem sentio) leniter fluunt, tum ipsa *διάλεκτος* habet eam jucunditatem, ut latentes etiam numeros complexa videatur.

[3]) Cic. de orat. l. III. c. 44. Idque princeps Isocrates instituisse fertur, ut inconditam antiquorum dicendi consuetudinem, delectationis atque aurium causa (quemadmodum scribit discipulus ejus Naucrates) numeris adstringeret.

[4]) Dionys. Hal. c. XIX. p. 143. Isocratis ejusque discipulorum scripta varietate carere dicit, periodosque eorum uno eodemque fere circulo moveri. c. XXIII. p. 173 et 182. Principem eum exhibet politae floridaeque compositionis, cujus quae sit natura c. XXIII. p. 170, 171, 172 luculentissime exposuit.

[5]) Cic. orat. c. 56. Elegit ex multis Isocratis libris triginta fortasse versus Hieronymus, peripateticus imprimis nobilis, plerosque senarios, sed etiam anapaestos, quo quid potest esse turpius?

[6]) Arist. Rhet. l. III. c. 8. *λείπεται δὲ παιάν, ᾧ ἐχρῶντο μὲν ἀπὸ Θρασυμάχου ἀρξάμενοι, οὐκ εἶχον δὲ λέγειν τίς ἦν.* Quintil. l. IX. c. 4, 87. Licet igitur paeona sequatur Ephorus inventum a Thrasymacho, probatum ab Aristotele etc.

[7]) Cic. orat. c. 51. Sed quis omnium doctior, quis in rebus vel inveniendis acutior, vel judicandis acrior Aristotele fuit? quis porro Isocrati est adversatus impensius? etc.

[8]) Cic. orat. 57. Paeon autem minime est aptus ad versum: quo libentius eum recepit oratio. Arist. Rhet. l. III. c. 8. *ὁ δὲ παιὰν ληπτέος· ἀπὸ μόνου γὰρ οὐκ ἔστι μέτρον τῶν ῥηθέντων ῥυθμῶν, ὥστε μάλιστα λανθάνειν.*

[9]) Cic. orat. c. 52. Nam qui Isocratem maxime mirantur, hoc in ejus summis laudibus ferunt, quod verbis solutis numeros primus injunxerit. — Quod ab his vere quadam ex parte, non totum dicitur. Nam neminem in eo genere scientius versatum Isocrate confitendum est; sed princeps inveniendi fuit Thrasymachus (vid. Cic. Brut. c. 8); cujus omnia nimis etiam exstant scripta numerose.

[10]) Dionys. c. XXIV. p. 197 et 198. *εἴρηται γὰρ τῷ φιλοσόφῳ τά τ᾽ἄλλα περὶ τῆς λέξεως τῆς πολιτικῆς ἐν τῇ τρίτῃ βίβλῳ τῶν ῥητορικῶν τεχνῶν, οἵαν αὐτὴν εἶναι προςήκει, καὶ δὴ καὶ περὶ τῆς εὐρυθμίας, ἐξ ὧν ἂν τοιαύτη γένοιτο· ἐν ᾗ τοὺς ἐπιτηδειοτάτους ὀνομάζει ῥυθμούς, καὶ πῇ χρήσιμος ἕκαστος αὐτῶν καταφαίνεται, καὶ λέξεις παρατίθησί τινας, αἷς πειρᾶται βεβαιοῦν τὸν λόγον.*

[11]) Vid. not. 6.

[12]) Cic. orat. c. 51. Ejus (sc. Aristotelis) auditor Theodectes, imprimis (ut Aristoteles saepe significat) politus scriptor atque artifex, hoc idem sentit (sc. de numero) et praecipit. Quintil. l. IX. c. 4. 88. (licet) eademque (sc. ut Aristoteles) dicant Theodectes ac Theophrastus etc.

[13]) Cic. orat. c. 51. Theophrastus vero, iisdem de rebus etiam accuratius.

[14]) Cic. orat. c. 50. Et apud Graecos quidem jam anni prope quadringenti sunt, quum hoc probatur, nos nuper agnovimus.

[15]) Dionys. c. XXV. p. 197. *ἡ δὲ πεπλανημένα μέτρα .... λάβοι μὲν ἄν τις καὶ ἐκ τῆς Ἀριστοτέλους μαρτυρίας τὴν πίστιν.*

CAP. VI. Unde sonus numerusque oratorius orti sint.

Cic. orat. c. 48. *Sed quia rerum verborumque judicium prudentiae est, vocum autem et numerorum aures sunt judices, et quod illa ad intelligentiam referuntur, haec ad voluptatem: in illis ratio invenit, in his sensus artem. Aut enim negligenda nobis fuit voluptas eorum, quibus probari volebamus, aut ars ejus conciliandae reperienda.*

Soni numerique ars ex voluptate[1]) manavit, quam eorum qui audiebant, aures[2]) percipiebant quotiescunque aliquid casu ac fortuito sonore aut numerose esset dictum.[3]) Quod ubi saepius accidit, orator deliciarum causam indagavit[4]) eademque denuo ad aures delectandas usus est. Ita notatio

naturae et animadversio peperit artem. „Aures[5]) enim (Cic. orat. c. 53), vel animus aurium nuntio naturalem quandam in se continet vocum omnium mensionem. Itaque et longiora et breviora judicat et perfecta ac moderata semper exspectat. Mutila sentit quaedam et quasi decurtata; quibus, tanquam debito fraudetur, offenditur: productiora alia et quasi immoderatius excurrentia, quae magis etiam aspernantur aures; quod quum in plerisque, tum in hoc genere, nimium quod est, offendit vehementius, quam id, quod videtur parum.“

Romanorum etiam aures revera tam sensibiles fuisse clamore plausuque confirmatur, quem a concione sublatum Cicero testatur si quid numerose esset dictum.[6]) „Sed ut ceteris in rebus necessitatis inventa[7]) (Cic. orat. c. 55) antiquiora sunt quam voluptatis: ita et in hac re accidit ut multis saeculis ante oratio nuda ac rudis, ad solos animorum sensus exprimendos, fuerit reperta, quam ratio numerorum, causa delectationis aurium excogitata.“

At numero in orationis partem vocato rhetores atque oratores sententias verbis artificiosissime complecti atque omnes fere, quibus antea soli poetae usi erant, pedes, praeter sonum, in orationem exornandam[8]) asciscere videmus. „Namque haec duo (Cic. de orat. l. III. c. 44) poetae, qui erant quondam iidem musici, machinati ad voluptatem sunt, versum atque cantum, ut et verborum numero et vocum modo vincerent aurium satietatem. Haec igitur duo, vocis dico moderationem et verborum conclusionem, quoad orationis severitas pati possit, a poetica ad eloquentiam traducenda duxerunt. In quo illud est vel maximum, quod versus in oratione, si efficitur conjunctione verborum, vitium est; et tamen eam conjunctionem, sicuti versum, numerose cadere et quadrari et perfici volumus“ etc.

[1]) Cic. orat. c. 60. Si unde ortus sit (sc. numerus quaeritur): ex aurium voluptate.

[2]) Cic. orat. c. 53. Quae (sc. causa) sic aperta est, ut mirer, veteres non esse commotos, praesertim quum, ut fit, fortuito saepe aliquid concluse apteque dicerent; quod quum animos hominum auresque pepulisset, ut intelligi posset, id, quod casus effudisset, cecidisse jucunde: notandum certe genus, atque ipsi sibi imitandi fuerunt.

Dionys. c. XI. p. 55. *τίς γάρ ἐστιν, ὅς οὐχ ὑπὸ μὲν ταύτης τῆς μελῳδίας ἄγεται καὶ γοητεύεται, ὑφ'ἑτέρας δέ τινος οὐδὲν πάσχει τοιοῦτον; καὶ ὑπὸ μὲν τούτων τῶν ῥυθμῶν οἰκειοῦται, ὑπὸ δὲ τούτων διοχλεῖται.*

Quintil. l. IX. c. 4. 116. Ergo quem in poemate locum habet versificatio, eum in oratione compositio. Optime autem de illa judicant aures, quae plena sentiunt, et parum expleta desiderant, et fragosis offenduntur, et levibus mulcentur ...... Ideoque docti rationem componendi intelligunt, etiam indocti voluptatem.

[3]) Cic. orat. c. 50. Hic enim invidiosus numerus nihil affert aliud, nisi ut sit apte verbis comprehensa sententia: quod fit etiam ab antiquis, sed plerumque casu, saepe natura: et quae valde laudantur apud illos, ea fere, quia sunt conclusa, laudantur.

[4]) Cic. orat. c. 55. Esse ergo in oratione numerum quendam non est difficile cognoscere. Indicat enim sensus; in quo iniquum est, quod accidit, non agnoscere, si cur id accidat, reperire nequeamus. Neque enim ipse versus ratione est cognitus, sed natura atque sensu, quem dimensa ratio docuit, quid acciderit.

[5]) Cic. Brut. c. 8. Nam et aures ipsae, quid plenum, quid inane sit judicant et spiritu, quasi necessitate aliqua, verborum comprehensio terminatur; in quo non modo defici, sed etiam laborare turpe est.

[6]) Vid. hujus dissert. Cic. c. III. n. 27. Cic. orat. c. 50. Meae quidem (sc. aures) et perfecto completoque verborum ambitu gaudent et curta sentiunt, nec amant redundantia. Quid dico meas? conciones saepe exclamare vidi, quum apte verba cecidissent.

[7]) Cic. orat. c. 53. Ut igitur in poetica versus inventus est terminatione aurium, observatione prudentium: sic in oratione animadversum est, multo illud quidem serius, sed eadem natura admonente, esse quosdam certos cursus conclusionesque verborum.

[8]) Cic. orat. c. 52. Quum enim videret (sc. Isocrates) oratores cum severitate audiri, poetas autem cum voluptate: tum dicitur numeros secutus, quibus etiam in oratione uteremur, tum jucunditatis causa, tum ut varietas occurreret satietati.

CAP. VII. Ubi numero oratorio sit utendum.

Cic. orat. c. 19. *Quamquam enim omnis locutio oratio est, tamen unius oratoris locutio hoc proprio signata nomine est.*

Quum, qualis cujusvis pedis natura et usus sit, supra docuerimus: jam, ubi numerus in universum adhibeatur, ostendemus.

Ut forma quaevis ex eo pendet, cujus ad imaginem ipsa est orta: sic cujuslibet etiam dictionis forma sententiae natura [1]) determinatur; quae si talis est ut numerum exigat oratorium, eo erit utendum, nisi sententiam induere velis veste ei non plane congruenti. Sententiae autem indolem perspectam habere et scire, quid cuivis orationis generi conveniat ejus est, qui ea, quae sentit et cogitat verbis apte comprehendere debeat i. e. *κατ' ἐξοχήν* eloquentis. [2]) „Is enim est eloquens (Cic. orat. c. 29), qui et humilia subtiliter et alta graviter et mediocria temperate potest dicere. Nemo is, inquies, fuit. Ne fuerit. Ego enim, quid desiderem, non, quid viderim, disputo; redeoque ad illam Platonis rei formam et speciem; quam etsi non cernimus, tamen animo tenere possumus. Non enim eloquentem quaero, neque quidquam mortale et caducum, sed illud ipsum, cujus qui sit compos, sit eloquens; quod nihil est aliud, nisi eloquentia ipsa, quam nullis, nisi mentis oculis videre possumus."

Locutionis tres sunt species et re et forma diversae; quarum prima, quae nudam sententiam aptis tantum verbis habet expressam, sermo, [3]) altera, quae nonnisi metris constat, poesis, tertia, quae est media inter illas, oratio appellatur. Haec enim, dum sententiam aptis verbis continet expressam, sono simul numeroque accedente, versus instar, principium ex se habet ac terminum. Quum poesis nonnisi metro constet, de utraque soluta locutione tantum accuratius nobis dicendum erit.

Quamvis ea, quae sermo dicitur locutio numero oratorio in universum careat: tamen vel in ea non solum adhiberi potest, sed debet, si quidem rei natura oratorium colorem poscit; tum enim is, qui scribit vel loquitur oratoris munere fungitur ac sermo ipse oratio fit, quamquam ejusmodi locutio tracta et fluens, dum vera oratio acris et contorta esse debet. Numero ita in historia [4]) utendum est, „in qua (Cic. orat. c. 20) et narratur ornate et regio saepe aut pugna describitur; interponuntur etiam conciones et adhortationes." Jure autem sermo dicitur Philosophorum locutio in qua, etsi non sono, tamen numero omnino abstinendum est, quum rerum, quas tractant natura talis sit, qualis eum non desideret. „Mollis est enim (Cic. orat. c. 19) oratio philosophorum et umbratilis, nec sententiis nec verbis instructa popularibus, nec vincta numeris sed soluta liberius. Nihil iratum habet, nihil invidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil astutum: casta, verecunda, virgo incorrupta quodammodo."

